BARTHOLOMÆI TORTOLETTI

SAC. THEOL. DOCT.

ROSTRA SACRA.



ROMÆ,
Excudebat Ludouicus Grignanus.
CIↃ IↃC XLV.

SVPERIORVM PERMISSV.

DISSERTATIO SACRA

Aduersùs eos, qui animarum iacturã in Deum reijciunt,

Seù

Catena rerum humanarum.

Imprimatur, si Reuerendissimo P. M. S. P. A. videbitur.

A. Sacratus Episc. Comacl. Vicesg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Serronus Mag. & Socius Reuerendiss. P. F. Michaelis Mazarini S. P. A. M. Ord. Præd.

ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.

D. SIGISMVNDO THADAEO EPISCOPO CALATINO.

BARTHOLOMÆVS TORTOLETTVS. S. P. D.



VAM tibi Antiſtiti Biteċteno Catenam rerum humanarum *ferè ante biennium priuatim dedi, eam modò eidem tibi Epiſcopo Calatino publicè do. Apud te nulla mutatio, niſi loci, cæterùm ſatis ſcio integram ſeruari mihi rationem amoris ergà me tui. Apud me nulla diuerſitas, niſi annorum, & quæ hos cōſequitur, virium iacturæ; cum obſeruantia, & cultus, quibus te proſecutus ſemper fui, ijdem ſint. In Opuſculo nulla varietas, niſi à calamo ad Typos. Quod ſi nullius conuerſio extat ſolidæ rei, quominùs eadem tua quoque voluntas ſit in accipiendo, qua illud & legiſti ſæpiùs, & laudaſti ſempèr, atque perhonorifico Elogio ſanxiſti, neutiquàm dubito. Iudicium enim*

tuum vti acre, & maturum, ità constans, constantiam etiam firmiorem ab humanitate tua capiet; quam appello, si quid in mea huiusmodi causa secùs obuenerit: non quia res meas (quod temerè esset) magni faciendas putem: sed quià ingenuus animus non sinè molestia ferre solet sua detrimentum capere apùd excellens ingenium, à quo semèl probata fuere. Quid addam reliqui, nihil suppetit: nam vbi rogaui, vt benignè accipias, officium impleui. Cætera in prioribus meis literis vidisti, & videre iterùm poteris, si libuerit. Laudes verò in tuas diuertere, vt plerique offerentium volumina consueuere, neque huius est loci, cum tituli, quibus maxima mereris, in abdito non sint; nequè meum est: si enim de tuis virtutibus liberè dixero, quid sentiam, earumquè summam explicauero, vereor, ne illud graue sit modestiæ tuæ, quod debetur veritati. Hanc itaque partem dimittamus ijs, quorum vti nulla sunt opera, ità nomina delitescunt. Vale. Romæ Non. Decembris Anno CIↃIↃCXLIV.

SI-

SIGISMVNDO THADÆO
EPISCOPO BITECTENO
VIRO AMPLISSIMO, ET ERVDITISSIMO.



BARTHOLOMÆVS TORTOLETTVS Sal. & Fel.



MNIA mihi arcta, inania, nulla seù natura, seù fortuna tribuerunt. Animus, qui à Deo est, magnitudine nemini cedit. Itaq; temeritati propior ad suprema contendit; cumq; gloria summa sit in rebus humanis, eam sibi vsitatis itineribus quærendam esse minimè retur: Quæ si cum aliorum vtilitate coniuncta sit, tùm verò nihil expetendum sibi prætereà statuit. Ex hac innata mihi cupiditate factum est, vt multa tentauerim, si minùs industriæ meæ, at argumenti causa valdè præclara. Cumque amplissimum sanè locum vidissem olim fortaßè vacuum, eumdem aggredi in mentem venerit.

nerit. Ille est (Scopus operum DEI) *quò ardua multa confluunt sapientiæ arcana, quibus cùm ingenium exerceatur, tum excitentur animi ad amorem Conditoris, & pulchritudinum supernarum. Plura ad hanc rem paraui, collegi ex alijs, ex me ipso commentus fui, & sua rem quamque sede indiligenti diligentia quadam distribui. Neque supellectilem cõtemnendam existimasses, THADAEE Præsul Vir Clarissime, ad eam nimirùm, quam mihi extremam seposueram vitæ laudem. Sed cùm mei iuris tunc non essem, perennes ingesti mihi labores, & curæ diù fefellere consilium meum. Postquàm in libertatem euasi, quod vix credo, ac libero item homine dignam vitã agere institui, multa mihi priùs absoluenda esse censui, quæ ferè metam attingebant, multa, quæ iam attigerant, repurganda. Quæ res plures annos absorpsit, quàm ego animum induxerã meum. Quocircà septuagesimum mihi secundum irrepsisse sentiens eam abijcere spem, cogitationemq; non dubitaui, ne in admouenda primùm manu tantæ rei, quantam pollicebatur*

appa-

apparatus, fortaſsè videar aut Deiotarum Regem ſecutus validæ vrbis ætate vltima fundamenta iacientem; aut ex Euangelica historia hominem, qui cœpit turrim ædificare, neque potuit conſummare. Vnam tamèn placuit non omittere Quæstionem, quæ ad prouidentiam in primis pertinens omnium ſeculorum nexa inter ſe opera comprehendit, vt ab optimo Numine indigniſſimam propulſem calumniam. Etenim & illa per ſe poteſt reliquo ſeiunƈta à corpore conſiſtere, & videtur aliquid habere curioſitati accommodatum, quod nòn mediocritèr alliciat. Ex ipſis quippè rerum ab initio in Orbe geſtarum diſpoſitione, atquè ordine in ea oſtenditur ſtuduiſſe Deum continentèr, vt ſalutem conſequatur mortale genus, eoquè humanarum viciſſitudinũ momenta ſingula contuliſſe. Hanc porrò ſuperiore anno per æſtiuorum menſium ocium vno impetu inchoaui, atque perfeci. Non enim ſenibus intermittendus eſt calor ille, ſi quid occæperint, ne posteà caſſo euentu deſiderent. Eandemq; ad te mitto, qui vtramq; leƈtionem, cognitionemq; benè callens

tàm

tàm ſacram, quàm prophanam mirificè eius vitia dijudicare, & cenſere potes. Id vti facias, te etiàm, atquè etiàm rogo, vt cum meo ſummo fructu ſit te hoc itèm experimento certiorem fieri, quanti faciam ſine fuco tuam doctrinam, tuum iudicium, tuam erga me propenſiſſimam voluntatem. Quod ſi dignam duxeris, quæ in apertum exeat, atquè in lucem literatorum, ſub tutela tui nominis eam exire, & illi magnoperè vtile, & mihi honorificentiſſimum arbitrabor. Vale. Romæ Cal. Ian. Anno CIƆIƆCXLIII.

SIGISMVNDVS THADAEVS
EPISCOPVS BITECTENVS
MINORVM PRAESVLVM MINIMVS.

BARTHOLOMAEO TORTOLETTO SVO,
SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI,
Vtriusque Linguæ, meliorum Musarum, omniumq; Scientiarum Consultissimo, Excultissimo. S. P. D.

CATENA tua me vinxit, Disertissime Tortolette, cunctisciæ Litteraturæ delicium; Eruditione nimirùm, qua scatet; elegantia, qua viget; sapientia, qua fulget. Quis enim sapientissimus Philo, inter Iudæos, vel Ioseph; quis vnquam inter Latinos, Græcosq; Cæsariensis Eusebius, Aquileiensis Ruffinus, Hispaniensis Orosius, aut Scytha ille Dionysius, agnomine quidem exiguus, Doctrina quamuis, vt sanctitate ter magnus; veræ fidei à primogenijs incunabulis, atq; Catholicæ Re-

ligio-

ligionis à primæuis vagitibus; nempè à primo de Terra terreo Adam, ad alterum de Cœlo per Noe, per Abraham, per Mosen, è Matre in Terris Cælestem; aut primordia nutantia, aut semina in culmos euntia, aut germina in segetem CHRISTI virentia, per effusissimas Mundi ætates inoffensiùs currat? inuolubiles sæculorum nexus securiùs euoluat? atquè insimùl inextricabiles à filijs ex patre Diabolo, quorum sub labijs venenum Aspidum, cauillos, calumnias, hæreses, alacriùs, solertiusq; conuellat? Vtinam vt in Doctrina sana, excultissima, & validissima est, sic eâ Christianæ Militiæ ad meliorem cultum, frugemq; emeriti omnes expendant; Triarij perlegāt; Proletarij addiscant! Ea enim est, quæ ad vnum omnes, vel vt aurea illa Homerici Iouis Catena ab infimo mortalitatis hoc solo, ad solia æternitatis perducat; vel vt ignea deuij Israëlis Columna, agentes in regione multæ noctis Chronologos, ad plurimā serenitatis, quìn ad sereniss-

renißimæ veritatis lucem alliciat. Verùm quid de Catena tua hæc afferam, mi ſuauißime,

τοῦ καὶ ἀπὸ γλώττης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδὴ

Cuius ab ore fluit, vox nectare dulcior ipſo.

cum ſcripta tua vniuerſa, ſint Moralia, an Sacra, ſoluta eloquentia, an metro, (quæ inter, mihi vniuersè præeat cum tua vtraque Iudith, doctißima Cenſura Philoſtrati; quã nuper ad ingenij tui oſtentum; proùt ad Scientiæ exuberantiã, ſpectatißimo cõcinnaſti labore) coruſcent adeò, niteantq; vt adhuc in lance ſim dubius, nùm lucubrationum radiantium; ſeu potiùs radiorum volumina cõcelebrem? Indubiè hoc tamen cõcelebro (Sanctißimo VRBANO Maximo, in rebus æquè, ſacriſq; Muſis extrà exemplar agente) tuum calamum eũ eſſe, vt exclamaſſe tui præcipue cauſa, vel momordiſſe ſit nefas,

Conticuit latiæ triſtis facundia Linguæ.

Gratulor itaquè, hanc te ſcripſiſſe Catenã ex animo. Micant ſiquidèm in eius auro

æterni Solis Iuſtitiæ fulgores, & quidèm tales; vt lumen gloriæ ipſius, mereare tu ſcriptor; dum Solem commonſtrant ipſiſſimum; cuius iam claret oraculum. Qui elucidant me, vitã eternã habento. Quod verò mihi inſcripſiſti, ni veri ſim reus, haud gratulor; ſum nanque eorum luminibus impar; ſit attamèn gratum, ſit lætum, quòd tui nominis ſplendor, in Sigiſmundi nomine, tui amantiſsimo, licèt in re literaria, vt in Albo minorum Pontificum, alioqui tenebricoſo, magis, ac magis eluceat. O' luceas fortunis aliquandò, vt ſemper iure, vt meritò, inter Mineruæ Magnates, immò Optimates, ſuperſtite gloria, lucebis. Vale.

Catena rerum humanarum, quin fidei.

Argumentum Auctoris.

Quisquis hæc scripta inspicis Catenæ inscripta nomine;
Cretenses ne timeas nexus:
Nullæ hic insidiæ, labor te nullus hic manet.
Accede, euolue, perlege:
Distringe mentis aciem, ingenium acue,
Rimare cuncta; Fides tibi facem præfert.
Fides Catenæ nodis euincta aureis;
Ad nos à primis ducta Parentibus trahitur.
Nil illi faces, nil obfuere Arma,
Nil Tyrannorum minæ:
Per faces. per Arma. per Minas, cũ extinctã crederes;
Affulget magis, nescia Occasus semper;
Semperque viuet clarier, rediuiuo Sole.
At mens ad fidei Solem, ac acies, caligat, hebescit.
Quid clara dicitur fides, si gaudet vmbris?
Nec fides erit illa, quæ lumen habet.
Obscura scilicet graditur; sed recta incedit;
Creditq; quod non videt; quod videt, minimè.
Ne cæcus ergò procedas, Amice Lector;
Viarum Ducem, Catenam Auctoris carpe.



Ad

In Catenam rerum humanarũ.
Seu potius fidei, itèm argumentum.

Lumine cum procùl id fidei, quod creditur, absit;
Ecquis erit cæcum, qui tibi pandat iter?
Auctor adest, Duce quo incedes securus; & inter
Te fidei nexus fida Catena reget.



Ad

Ad Diuam VIRGINEM DEIPARAM

PRÆFATIO


In Catenam rerum humanarum.

ERret niuoſam per Rhodopen canis
Alter latebris, aut iuga Carpati
Subambulet torui, ferarum
Horrificis animata monſtris,
Fidatq; opaco rupis inhoſpitæ;
Nec tæda flagrans, atque iter explicans
Cum luce præcedat magiſtra,
Et refugas populetur vmbras.
Non ipſe tales ingrediar vias
Obſcurus, anceps è quibus exitus,
Dum mille palleſcunt periclis,
Mille timent inimica plantæ.
Rerum Catenam, DIVA parens DEI
Intaminato nomine Virginis,
Et fata regnorum ſuperni
Conſilio ſociata Regis

Rimari, & apta fingere pagina
Deliberatum mente ſedet mea:
Verum reluctantem laborem
Ingenio, tacitoque nexus
Aeuo latentes non opis eſt meæ
Tentare, Olympo ni iubar emicet.
Si fecero, inceſſus labaſcet,
Nec pauidam fugiet ruinam.
Tu, quæ ab vetuſtis parua crepundijs
Audire lenis vota ſoles mea,
Tu tæda nequaquàm, ſed aurea
Splendidior mihi Sole lampas
Eris. beato te, Dea, vertice
Adeſſe poſco ſuppliciter meis
Conatibus, nullum Parentis
Cui tegitur penetrale ſummi.
Quippè afferendæ prouida Numinis
Dum mens ſalutis ſollicitat meam
Mirè voluptatem, pijſquè
Ingenium ſtimulis laceſſit;
Plus vndè ſperem? quis propior DEO?
Quis te caducæ prolis amantior
Eius, colubrum quæ loquacem


Prætulit imperio Tonantis ?
Tu disparatas res penitùs tui
Iunxisti aheno pectoris ambitu
Catena pollens, & beato
Ad superos trahis ima vinclo.
Tu Numen altum, nec facilem capi
Interminato fornice syderum
Vim claudis, humanos & artus
Virgo DEO sapientèr aptas.
Cum Rege Regum munere de tuo
Vnum vocamur scilicèt, ac sumus.
Fessum, senescentemq; mundum
Sic Deitas reparauit alma.
Quid imperitis fabula mentibus
Phœnix oberrat ? multa dies fidem
Obliterauit, nec probantur,
Quæ stolido placuere seclo.
Mortalium gens, si locus est rei,
Est vera Phœnix, cui rogus ignium
Exemit antiquam tuorum
Illuuiem, meliorq; dia
Facta est iuuenta. Ne mihi desine
Fauere, cœptisq; addere vim meis;

Librata, si saxis, ferentur
Ponderibus mea verba miris:
Quæ perduelles nec Stygis impetu
Vellant Triones, nec furor Africus;
A' Numine & latum perenne
Auxilium fateantur Orbi.
A' fonte primo te repetam duce,
Regina, nostræ stirpis originem;
Ducamq; per fastos, & aras
Regna die variata longa;
Donec nouato Progenies tua
Affulsit Orbi: quæ Pater optimus
Euoluit armorum procellis,
Aetherias vt amemus arces.



DIS-

DISSERTATIO SACRA.



I ea mens foret, eaque virtus hominibus Christianæ militiæ tesserá præferẽtibus, quæ characterem decent, nemini dubiũ, quin monere, hortari, atquè à vitijs, & corruptis opinionibus dicendo, scribendoquè deterrere superuacaneus labor esset, cum vnusquisque sibi concio, sibi lex in conscientia rectè factorum firmum, stabileq; statuendum sibi esse præsidiũ intelligeret; Cæterùm praua omnia noxia habenda. Sed longè alia rerum est ratio, eoquè ventum est improbitatis, & sceleris, vt & facta deteriora sint, quàm vt verbis corrigantur, & immanibus sententijs eloquentia minor. Nam quæ monstra, DEVS bo-

ne, pleriquè non euomunt prophano ore, vel qui ſe prò CHRISTO domino ſtare profitentur, nedum hoſtes tanti nominis, & religionis? Ego verò, quicquid oratio mea ponderis habitura ſit, prò defenſione vnius maximæ, perpetuæq; veritatis ijs omnibus bellum indico, qui contrà ſentiunt, ad quos, vbicunq; fuerint, cum meus hic labor peruenire poſsit, ingenti cum alacritate meis per me partibus, quoàd eius fieri poterit, ſatisfiet.

Quid enim, ſeù Philoſophe impoſtor, ſeù Hæretice veterator, DEVM blaſphœmas iactura animarũ, & cruciatibus delectari? ac de re tanta oſcitantèr ferre ſententiam, & diuina iudicia inſana libidine metiri non erubeſcis? DEVS, qui ſummum eſt bonum, nemini aut fecit, aut facit iniuriam. Quiqui ſempiternis ignibus torrentur, in eos vltrò ſuomet crimine corruerunt. Recenſeamus, oro, rerũ

ſeriem ab origine ſeculorum in orbe geſtarum,& ſtatuamus euentuum inter ſe nexorum quaſi Catenam. Ex ea Sole illuſtriùs patebit, nequè conſultiùs, manente arbitrij libertate; caueri potuiſſe ab optimo Numine mortalium ſaluti, nequè diligentiùs prouideri, ne perderentur. Etenim eo fine ſibi propoſito cũcta diſpoſuit, vt terreſtria ad Cœlum parandum dirigerentur, ac rerum inconſtantia æternitati famularetur. Non auctoritatibus, non rationum vi, non verborum copia, ſed facti ſola, tanquã in ſpectaculo, propoſitione calumniã conuellere non dubitamus.

Natura boni eſt patere latiſſimè, ac plura quærere, quæ in partem vocet ſuæ amplitudinis, & affluentiæ.Ptopterea rerum vniuerſitatẽ huiuſmodi maximam creauit è nihilo omnipotens Pater, vt multa forent, quæ diuinis muneribus potirentur. Cœ- *D.Dion de diu. no. c.4. D.Tho. con.gen. l.1.c.37 & p.p.q. 5. ar.4.*

lum lumine, ac volubilitate conſpicuum; terram ſolidam, & vario genere incolarum, & fruticum laſciuiẽtem; tria, quæ media intercedũt, ignẽ, aërem leues, aquam tenuem, & fugacem; omnia vtilia, atque vni homini famulantia. Huic porrò quemadmodum tribuit animum participem ſui, ſuamq́; imaginem referentem, ſic genus negauit ornamenti nullum, quo præſtantiſſimus haberetur. Itaque innocentia excellens, virtus ſumma, ſapientia, & diuinarum perindè, atque humanarum cognitio rerum admirabilis initio adeò ſplendidè hominem imbuebant, vt vitam ageret penè ſuparem Conditori. Vix tanta adeptus, omnia miſerabili lapſu peſſundedit, ſeque cum vniuerſa poſteritate à bonis perennibus abdicauit. Adamus hic fuit, qui defleto diù crimine, ac venia impetrata, deinceps fidem nũquam feſellit, liberos docuit, nepo-

tes vsquè ad Matusalemum in curriculo innocentis vitæ diutissimè confirmauit. Inter hos Sethus filius, Henochus Sethi abnepos sanctitate eximia præcelluere. At Caimus fratricida cum suis detrectauit parentis imperium, ad omne flagitiorum genus instituta, & mores, imò naturam ipsam traduxit, cum nemo sit, quin sibi à DEO legem in animo insitam esse sentiat, qua bonum à malo, honestum à turpi, iustũ ab iniusto possit secernere; nequè aut Numinis minæ, aut bonorum exempla peruicaces animos ab incepto deterruerunt. Quò quidem pertinent duarum illarum fundamenta Ciuitatum, quarum formam miraculum Africæ Sanctissimus Augustinus elaborandam tantis molibus suscepit. *Fecerunt enim (vt ipse ait) Ciuitates duas amores duo, terrenã scilicèt amor sui vsquè ad contemptum DEI; Cælestem verò amor DEI vsquè*

Cat.Rõ. p. 3.

de Ciui. Dei l. 14. c. 28.

què ad contemptum sui. Quocircà quòd illa ætate adeò longæui mortales fuerint, ex R.Leui tradunt nonnulli opus fuisse prouidentiæ, non naturæ, tùm vti celeritèr propagaretur in multitudinem genus humanum; tùm etiã, vt primi illi, ac præsertim Adamus à DEO ipso sapientia, & religione imbutus, atquè ab eo instructi liberi notitiam DEI Creatoris transmitterent ad posteros longa serie, mundi originem enarrarent, immortalis, beatæq; vitæ scientiam, cui mirificè Henochi translatio seruiuit, explicarent, suo exemplo DEVM colere, sacrificijs placare, fidem in Christum futurum Adamo reuelatum non abijcere nascentes populos edocerent. Matusalemus ad Noëmum peruenit. Qui ambo iustitiam ritè colentes, neque à recti tramite discedentes nihil laboris, industriæq; prætermiserunt, quò perditi, prauiq; homines ad DEI iussa

Gen. c. 5. ad Heb. c. 11.

iussa reuerterentur. Verum enimuerò nequè assiduæ denuntiationes, nequè fatalis Arcæ annorum centum prolixa confectio quicquam profuerunt, quominùs aquis per vniuersum manantibus delere corruptum genus necesse fuerit. Coëgerunt impij desertores inuitum Numen vltioni insistere, cum ipse veniam, salutemq; meditaretur. Si corpora, si animæ periere, cur sempiterno rerum Principi conflemus inuidiam, qui omnia instrumenta adhibuit, ne perirent?

Alluuioni Noëmus idem superstes fuit. Qui quid egerit vnà cum filijs Semo, & Iapheto (nam Chamus ab institutis patrijs citò desciuit) vt renatum conciliaret virtuti semen humanum, & DEI cultum propagaret, nihil est, quod laborem commemorando. Cogitet quisque pium, & sapientem virum, amantissimum patrem, ac solertissimum, nequè fi-

dem desiderabit Historiæ. Sed frustrà omnia. Hic me non præterit D. Augustinum difficile existimasse in scripturis sacris inuenire, an post Diluuium à Noemo ad Abrahamum cõseruata fuerit pietas in aliqua familia, & DEI cultus fidelitèr habitus. At cum Noëmus ipse attigerit Abrahamum, nec non Semus, Iaphetusquè Noëmi liberi superessent, nihil ambigendum, quin eorum in familijs saltèm principibus illæsa religio permanserit. Cumquè Melchisedechum sacer Geneseos liber nobis commemoret Regem Salem Sacerdotẽ DEI altissimi, qui quidèm vel fuit ipsemet Semus, vel ex eius posteris quispiam, satis quoquè in diuinis literis videtur expressum medio illo tẽpore (si medium tamèn dici potest) suos pietati veræ cultores non defuisse.

de Ciu. Dei l. 16. c. 1.

Gen. c. 14.

Noëmo è viuis ablato, in vno ferè Abrahamo iustitia, & veritas pedem

fixere,

fixere, & vim naufragij haud quaquá passæ fuere. Cæterùm vbiquè gentium Dij fictiles, Dæmonum aræ, execrabilis superstitio. Nam cum vnicuique innata sint semina religionis, & vetere institutione alita, rem optimam ad deterrimum facinus traduxerunt: tanquàm vel DEI veri obstinata ceruice impunè se detrectare posse putarent imperium, vel aspernati vetustos ritus nouitate inuenti gloriam ambitiosiùs aucuparentur. Chami posteritas dilatata etiam Tyrannidem occupauit. Nembrothus, Belus, Ninus, post immanem turrim, & linguarum multiplicem diuisioné populationibus, cædibus, rapinis opprimere populos, prouincias bello aggredi, monarchicum sibi imperium penès Asyrios, Babiloniosq; vendicare, fas, nefas apud ipsos eodem loco esse, ius posthabitum, DEVS cótemptus. Abrahamus è Chaldæis laribus, Gen. 12.

Jos. Ant. l. 1. c. 7. ribus, vbi, eo nequicquã reclamante, omne flagitiũ vigebat, diuinitùs euocatus varias peregrinationes diuino consilio suscepit, vt ipso auctore innocentiæ studium, & cognitio veri Numinis latè paterent, in Mesopotamiam, Syriam, Ægyptum. Eidem quoquè memorabilis illa facta de Cœlo promissio est, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Cuius quidem famam domesticis parietibus contineri nequisse putandum est, imò latiùs fuisse peruagatam, vt nationes erectæ in spem maximi boni ad meliorem frugem excitarentur. Quæ res eò facilior mortalibus accidebat, quò ab illis DEVS ea tempestate nihil prætereà requirere videbatur, quàm vt se vnum adorarent, colerent, ab Idolorum superstitionibus abstinerét. Adeò cætera vniuscuiusquè arbitrio propemodùm relinquebantur. Ea verò visa sunt deliramenta terrarum

Gen. c. 22.

Orbi,

Orbi. Fortunæ bona, opes, regna, quæ sub sensum cadunt, sola quæsita, laudata scelera, quæ Dijs illis profectis Herebo probarentur. Vel animã extincto corpore nusquàm esse, vel quid futurum post obitum sit, nihil pensi habendum. Hæc insana corruptis animis oberrabant, & perniciosis opinionibus mortales miseros imbuebant. Maior tamèn flagitijs extitit cura Numinis, cuius patientia, clementiaq; inuicèm tanquàm prò principatu decertauere. Itaquè qui DEI iustitiam sequebantur, Abrahamus, Isaacus, Iacobus ditati plurimùm fuere, oneratiq; à Numine beneficijs, tùm quià quos paucissimos in suo ære possidebat, æquum esset omni ope in officio continere, tùm etiam vt exemplo alliceret plerosquè omnes, qui bonis terrestribus inhiabant. Igitùr ad miraculum Abrahami genus excreuit potentia, & numero

mero propagatum, atquè Oriente diffusum firmè toto rem sacram, quæ reliqua penès ipsũ erat, rebelles quoquè nationes docere potuit. At cum Abrahami liberi, nepotesq; prætèr Isaacum, & Iacobum se à gentibus contaminari potiùs passi fuerint, quã illarum mores correxerint, DEVS patiens bonorum fœcunditate sarcire detrimentum non dubitauit. Animaduertite deinceps in scena mundi implexam rerum perturbationem, mirabilemq; contextum diuini Poëtæ, vt excitaret genus humanum.

Eccè verò Iacobi filij plures; vnus à fratribus inuidia venditus, dein Ægypto cum potestate impositus, missa de Cœlo penuria frugum, vt eò migrandi cæteris occasio daretur; vbi enim mirum in modum inualuerat exitiabilis superstitio, & fixis radicibus altiùs insederat, ibi lucem affulgere, eoque incorruptæ pietatis inferrè

ferre semina idoneum oppidò videbatur. In Ægypto quadringentorum triginta annorum spatio conflata est Israëlitici generis incredibilis multitudo. Ex ea secutis regibus orta suspicio, tanquam sceptris immineret. Quocircà oppressi, atque asperrimè ab incolis habiti; atrocibus demùm plagis diuinitùs regno percusso, discisso pelago ad transeundum; Rege cum vastis exercitibus horrendè hausto; Moysem Ducem cœlitùs datum secuti iugum excusserunt, atquè incolumes euaserunt. Eodem tractu rerum luculenta in desertis locis prodigia; lex ad erudiendos animos, vbi natura defecisset, à DEO tradita, magnisq; terroribus vallata; perennibus victorijs afflicti hostes; Arabes, Chananæi, Palestini sedibus pulsi, & funditùs exterminati; immanes prouinciæ in tribus duodecim auctas quotidiè mirum in modum distributæ;

Exod. c. 12. Act. c. 13. ad Gal. c. 3.

Imperium denique opulentum, & formidabile constitutũ, quod à mari ad mare pertingeret, ac magnorum Regum ceruicibus impenderet. Ingens indè Idololatris facta est copia cognoscendæ, atque adorandæ Diuinitatis, & impios sacrorum ritus, libidines, turpitudines eiurandi, cum portenta extrà naturæ ordinem adeò illustria vel oculis cernerent, vel nũtiante fama perdiscerent. Etenim per Moysem DEVS inquit Pharaoni. *Idcircò posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meũ in omni terra.* Quò nimirùm cæteri homines, & Numinis flagella reformidarent, & perspecta Israëlitarum felicitate ad veri DEI se cultum cõuerterent, atque æmulatione præclara (quòd nupèr attigi) commouerẽtur. Sed nihil minùs; cum de libris etiam diuinæ legis similitudinem simulacrorum suorum scrutari gentes

Exod. c. 9. Ad Ro. c. 9.

Cath. Ro. p. 3.

1. Machab. c. 3.

tes non exhorreſcerent.

Subiere Prophetæ, Balaamus item intèr eos, quanquàm improbus, atquè Etniciſmo addictus; tùm Sibyllæ ad Hebræorum ſanguinem minimè pertinentes, vt excuſationem gentilitas non haberet, qui CHRISTVM omnes adfuturum cecinerunt. At cũ ſecuti gentium Principes, quæcunq; ad eorum Imperia ſpectabant (quippe qui terrena dumtaxàt ſaperent) in Sibyllarum monumentis ſcrutarẽtur, iiſque fidem adhiberent, quod ſummum in ipſis erat, quod æternũ, quod diuinum conquirere, atquè intelligere neglexerunt. Porrò Dauides, cuius oracula eò vberiorem, ſi non auctoritatem, fidemq;, at certè famam obtinere videbantur, quò regalis fulgor virum fortiſſimum, atque ſanctiſſimum in primis nobilitabat, de vẽturo Principe nihil omiſit, cuius nimirum vetus illi pollicitatio fuit di- *ad Phil. lip. c. 3.*

uinitùs confirmata, nec non ipsiusmet semini stabilita. Itaque tantæ rei rumor latissimè peruagari, nequè modò finitimos occupare, sed etiam remotissimos adoriri. Additum est prætereà Templum augustum, locuples, & sãctitate eximia venerabile per Salomonem Regem sapientia celebrẽ, cuius maiestate loci sacræ legis custodia, & cultus Deitatis haud subdolæ niteretur, quodq́; satis foret ad mortalium animos ab impietatibus reuocandos, repurgandosq́;. Hæc autèm tantum abest, vt apud exteros habuerint quicquam ponderis, vt vel ipsos nacta Israelitas perindè in corruptionem pronos vsqueadeò nihil profuerint, vt suarum virium ægritudinem mirarentur.

Peccauerunt Israëlitæ nefarijs modis, & in superstitiones gentium turpissimè deuoluti iram in se mitissimi Numinis concitauerunt. Aræ, luci, ob-

obſcœna, crudeliaué ſacra apud ipſos inſtituta, lex violata, ius pollutũ. Parauerat in hoc Aſsyriorum, Chaldæorumq́; imperium toto Oriente, atquè Auſtro patens arcano conſilio prouidentia diuinæ mentis, vt in Aſſyrios primum, & Medorum vrbes decem tribuum, deindè in Babylonem Iudaici ſanguinis tranſlata captiuitas, & ſuorum ſcelerum pœnas lueret, & veritatis ſemina ſpargeret, quæ toto Orbe diffunderentur, ac rudes populos inſtituerent. Eccè quid excogitauit diuina bonitas, ſuos atterere, ne ſalutem deſereret exterorum. Nõ enim temerè augeri imperia permiſit, quæ cum proprijs opibus ſtuduerunt, obſecuta ſunt Deitati. Aſsyriorum, Chaldæorumq́; Monarchia bellorum impetu tranſiuit ad Perſas. Nã cum in poteſtate Numinis foret vni, eidemque populo vel vſquè ad deflagrationem mundi nouiſſimam im-

perium permittere Orbis terrarum, tamèn illum sua miseratio, & sapientia iussit vagam mutationi subijcere dominationem, vt demonstrata infirmitate animos à rebus terrestribus expeditos desiderio cœlestium afflaret. Persæ post annos septuaginta, tribum Iudæ patrijs sedibus restituere; ità res DEO temperante, nimirùm de qua CHRISTVS in locis per Prophetas celebratis statuto tempore nasceretur. Instaurata est Hierosolyma regni princeps, Templum repositum, cultus reparatus. Nequè pluribus seculis apud Persas stetit imperium. Alexander belli fulmen Græcorum opibus Persas euertit, ac rerũ toto Oriente potitus est. Alij ab eodem auctore profecti multiplicatis dominatibus Rempublicã tenuerunt, vario euentu Iudæorum, quemadmodùm è Machabæorum libris elucet. Quod quidèm veritati inter Græcos

etiam disseminandæ magnoperè idoneum erat, nisi inanibus fabulis intenti purissimo Numini pollutas imagines prætulissent. Quis autem diù fidat rebus humanis? Qui status labefactari minimè posse videbatur, superiorum fortunam induit. Romana arma Græcorum victorias celeritèr deleuerunt, Iudæosq; victis ereptos suæ ditionis fecerunt. Quocircà in dies magis DEI est exposita latè cognitio, innocentiæq; disciplina, siquidèm pietas, & salutis acquirendæ studium curæ mortalibus fuissent: *Nã quæ vsquam gentes ignorarent, quod Roma didicisset?* Ex eo vulgatum vni DEO cultum exhibere Iudæum genus, quod nulla effigie constaret, cognita sacra, nequè silẽtio obruta Prophetarum nomina, pretèr oracula Sibyllarum, quæ omnia, vtì memoraui, Seruatorem hominum sonabant, expectationeq; ancipiti gentium ani-

S. Leo ser. 1. de Apostolis.

Tac. Hist. l. 5.

mos suspendebant: Quò enim propiùs illius aduentus imminebat, eò latiùs, vtì appropinquante Sole lux, eiusdem fama crebrescebat. Quæ quidèm veritas non minimam habere videtur auctoritatem, ac firmitudinē
Sur. die 9. Vet. ab ijs, quæ apud Hilduinum disseruit Dionysius Areopagita vir maximus, cum Apostolo Paulo sciscitanti, quisnam ille esset ignotus DEVS, cui aram Athenis constituerant, respondit, *nondùm fuisse mortalibus reuelatū, sed futurum esse verum DEVM, verumq; hominem, qui regnaturus eßet in Cælo, & in terra, nequè regnandi finem habiturus.* Idcircò postremis etiam illis ante felicem ortum temporibus,
Ios. Ant. l. 13. c. 19. & regia Hierosolymis maiestas, & Pontificia sanctitas in eundem Principem coiere, vt is aduentare ostenderetur, qui regale simùl fastigium, & Pontificium apicem sustineret.

Iam verò, quanquam mortales ratione

tione vtentes vna dumtaxat naturæ vi tùm virtutem, tùm ipsum DEVM agnóscere quoquo modo potuissent, vt nimirùm vniuersitatis huiusce dominum, & rectorem sempiternum, qui esse nequeat multiplex, aut mutabilis; quò spectat potissimũ XIII. sapientiæ caput: tamen cũ lege præ- Sap. c. 13.
tereà lata, tantisq; insupèr argumentis eos clemens Arbiter excitauerit, atquè adiumenta assidua suggesserit, cuius iniuria factum fuisse dixerimus, vt ij perirent amisso Cœlo plerìquè omnes, qui eadẽ singula coecis oculis, & surdis auribus excepere? Et quidèm, nisi fallor, ad nouissima mundi tempora Henochus, Eliasq; reseruantur, non modò vt confutent Antichristum, verum vt arguant ingratorum quoquè hominum detestabilem contumaciam, qui vocanti DEO neutiquàm responderunt, & quacũque tempestate præclara ipsius auxilia con-

contempſerunt. Neque enim Iudæorum religionem, vti paulò antè diſſerebam, Roma ipſa gentium princeps ignorauit, ſed irriſit; & barbaram ſuperſtitionem M. etiam Tullius appellauit, eamq́;, tanquã *à ſplendore tanti Imperij, grauitate Romani nominis, maiorum inſtitutis abhorrentem*, reijciendam cenſuit; perindè ac ſi religio foret humanum quid conſtans arbitrio mortalium, neque præſcripto Numinis ſit ſumenda, ſiuè DEI cultus, & ſacrorum ratio, formaq́; regnorum ſtatum ſequi debeant; non omnia ſecùs, cum religione firmentur imperia.

Cic. pro Flauo.

Dio. l. 52.

Igitur, quæ ſatis fuerant humano generi ad videndum iter, quo pergere poſſet ad probitatem, cladem q́; acerbiſſimam deuitare, ſi tot muneribus vti voluiſſet, ſatis DEO haud quaquàm fuere. *Sic ille dilexit mundum*, vt reſeratis quammaximè fieri poſſet,

Io. c. 3.

possset, diuinæ benignitatis,& clemẽtiæ thesauris, & largitate nullo termino definita, *Filium suum vnigenitum daret, atque in similitudinem missum carnis peccati super terram videri, & cum hominibus conuersari iuberet.* ad Ro. c.8. Baruch. c.3.
Hic inscitiæ veteris discutere ferales tenebras, verbo, exemplo ad pietatẽ vocare, atque contemptum humanarum rerum; Dæmones profligare; Cœlum in terras deferre, cum terras decepti homines prò Cœlo haberent; atquè ea mirante natura in cœcis, claudis, fato functis perpetrare, quæ DEVM illum probarent humanis artubus obuolutum; quibus permotus vniuersus Orbis vnam animæ vtilitatem, terrenis rebus posthabitis, auidiùs appetere, atq; ardentiùs quærere debuisset. Sed videamus, quò pertineat sapientia mortalium. Cum incerti, attonitiq; penderent, res euenit longè secùs, atquè ipsi animum indu-

induxerant ſuum. Expectati tamdiù Regis vita inops, cultus humilis, ſinè maieſtate, ſinè exercitibus, ſinè luxu; mors turpitudine infamis, prò ſcelerato quippè habitus, & *cum ſceleratis reputatus eſt*, cruciatibus miſerabilis,
Iſa. c. 53. *1. Cor. c. 1.* *S. Greg. hom. 6. in Euãgelica.*
Iudæis quidèm ſcandalum, gentibus autem ſtultitia: Etenim *indè homo ſcandalum ſumpſit, vndè amplius illi debitor fieri debuit*. Quo ex loco ad noſtram ſententiam roborandam valdè firmum mea ſententia ducitur argumentum; nam qui tot cruciatibus, contumelijſq́; ſubijci voluit, vt hominum indemnitati proſpiceret, cum vnico gemitu ſatisfacere potuiſſet, quò magis ea illi exhibuiſſe auxilia putandus eſt, quæ extrà ipſum erant, quæquè nullo eidem pretio ſteterunt? Iudæis, inquam, ſcandalum, qui expectatione, ſtudio, ſpe ad carnem compoſiti, non Cœli patriam, non ſpiritum cogitabant, atque ab

omni-

omnibus ſacrarum prædictionum interpretationibus abhorrebant, quæ CHRISTVM maieſtate fultum, & copijs militaribus ſtipatum, victorijſq; terreſtribus præfulgentem nequaquàm pollicerentur. Itaquè accuſationes inuidiæ manibus elaboratæ, iudicium præcipiti libidine properatum, corpus doloribus, opprobrijſq; ſaturatum; omnia crudelia, abſurda, contumelioſa, nec non ab ipſa humanitate longè diſcreta, ſi vel puro homini contigiſſent. Iudæis ſcandalum, quorum adhùc plerique blaſphœmant. Si Cruci affixus ille CHRISTVS fuit, quam ob causā non ſplendidiùs, illuſtriuſq; apparuit? Quaſi verò aut DEI filius modum ſui aduentus ad eorum voluntatem componere, ac metiri debuerit, non ad ſuam ſapientiam, & bonitatem, aut ea non fecerit apud ipſos opera, quæ nemo fecit, quæquè tot prælocutio-

Hier. Thre. c.3.

Io.c.15

cutionibus Prophetarum haud quaquàm congruerent. Iudæis ſcandalum, qui cum antè Captiuitatem Babylonicam intrà Moſaicæ legis cancellos contineri nequirent, eidem poſteà adeò nauitèr, & mordicùs adhæſerunt, vt etiam abrogatam, noxiamq́; quò nimirùm Spiritui Sancto
Act. c. 7 ſemper reſiſterent, tueri non dubitauerint. De gentium autèm deriſione quid laborare diſputando neceſſe eſt? quibus cum incredibile omninò videretur & DEVM pati, & aliena cauſa mori, haud facilè explicari poteſt, quàm Cruci affixum Numen neſcio quid ſtolidũ iudicarent, quàmque ſuum bonum aſpernati pertinaciſſimè auerſarentur; tametſi ne ſui quidèm ille ortus latere primordia permiſerit, perq́; ſtellæ admirandi fulgoris aſpectum & è remotiſſimis regionibus traxerit Dynaſtas, ac Magos,
S. Leo ſerm. de Epiph. *& vniuerſo ità declaratus fuerit mundo,*

do, cum adhùc exiguo detineretur oppidulo, vt otiosum videri nequaquã debuerit, quod tàm insolitum spectabatur, nequè negligendum, quod tanto nuntiabatur indicio. Quamobrèm effectum est, vt eodem beneficio extrà omnem aleam mirabili, atque singulari nequè illæ, nisi paulatìm, & progressu temporis illectæ fuerint, & Iudæi ipsi alieni fierent, atquè immortali regno contempto, longa spe, sed inani, terrenum adhùc opperiri non desinant.

O' miserrimum verè genus, quod ab altissimo deiectũ gradu, quo beatissimum te ferebas, atque à DEO in delicijs habitum, in infimas sordes, & dedecora tua perfidia, contumaciaq; decidisti. O' quam væcordes, & fatui Iudæi, qui cum vnum CHRISTVM tot seculorum curriculo suspirauissetis, eundem, vbi adfuit, ignorauistis, despexistis, latronum ritu in

Cru-

Crucem egiſtis: tanquàm vobis ille, qui vita eſt, fuerit è contrà mortis inſtàr, quam abſentem prementibus ærumnis inuocamus, præſentem odimus. Quàm mente diminuta, quàm craſſo ingenio fuiſtis, qui communia cũ mortalibus ineptis de diuino Principe vobis cœlitùs promiſſo ſenſiſtis, quiquè anguſtia mentis veſtræ DEI magnitudinem dimenſi neque illum largiri meliora purpuris, quæ humi perſtringunt oculos, neque vos poſſe accipere rati eſtis. Enimuerò adeò hæc hæreſis veſtris in cordibus vulgò inualuerat, vt vel ipſi diſcipuli Redemptoris nondùm ſuperno lumine, atquè ſpiritu confirmati, ab eo ſciſcitati fuerint, quo momento receſſurus
Act.c.1 erat in Cœlum. *Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?* neque apud ipſos tot præuiæ adhortationes, documentaq́;, vt omnia ſtudia, omnes cogitationes conferrent ad ſedes

ſupe-

ſuperas, quicquam ponderis habuerant. Quid verò dicam inualuerat? inualuit profectò, & in dies inualeſcit, exactiſq; iamdiù præfinitis calamo veſtrorum vatum temporibus, Gen. c.49. nondum videtis minimè oportuiſſe Dan. ex Empyreo deſcendere Verbũ DEI, c.9. noſtramq; induere mortalitatem, vt 4.Reg. c.19. homunculos debellaret, quorum vno Iſaia c.39. ictu ſub Ezechia Rege centum octo- Exod. c.12. ginta quinque millia, ſub Moyſe Duce in primogenitis Ægypti maiorem numerum ſolitus fuit manu Angeli iugulare. An adeò parum neceſſariã exiſtimatis humani generis à crimine redemptionem, qua tota ſalutis ratio continetur? An victorias DEVS affectet, quæ ad opprimentium corpora detrimentum pertinent, eas negligat, quæ Satanam feriunt fœda tyrannide animabus miſeris imminentem? an captiuitatẽ ſoluat vitæ mortalis, æternæ poſthabeat? Miſerrimum, inquã,

genus hominum, qui cum Moysi seruo bona fluxa pollicenti, & Chananæas sedes ostendenti credideritis, CHRISTO domino ad incorruptas opes euocanti, & Cœli cardines reseranti fidem non habuistis, atque omne bonum amisistis vnà cum spe
Ps. 117 recuperandi, nisi ad eum lapidem,
Matth. c. 21. quem amentissimè reprobastis, & quantùm in vobis fuit, impijssimè contriuistis, perfugium habeatis. Esto, purum hominem expectabatis: at vos affecit DEVS iniuria, cum superauit expectationem, vobisq; prò puro homine permisit hominem DEVM? in accessione beneficij tàm præclara, tamque singulari beneficiumnè amisit, & odium vestrum meritus est? Nam quorsùm tantus apparatus promissi regis? tot oracula Prophetarum? tanta diuturnitas expectationis, & dilatio mittendi, si mortalium ille naturam, conditionemq; excedere non

debe-

debebat? Nunquid Moyses non à DEO missus fuit, vt vos ab Ægyptia calamitate liberaret? Nunquid Dauides, qui vos è manibus Philistinorũ eriperet? Nunquid Mattathias, Iudasq́; Assamonæi, qui à Græcorum armis assererent? neque tamèn vllus ad eos ejusmodi apparatus in sacris literis reperitur, quin verò quot Prophetæ saluti vobis fuere, viri maximi à DEO missi, Samuel, Elias, Elisæus, Isaias, Hieremias, Daniel? neque in eos pollicitatio Numinis cecidit. Itaque suprà hominẽ quam longissimo esse oportebat interuallo, qui adeò suprà cæteros à DEO missos attollebatur, tantaquè omnium rerum prærogatiua promittebatur. Sed cur ego in hisce argumentis immoror recensendis? Srutamini scripturas, & præsertim tot volumina Prophetarum. Si talem DEVS vobis CHRISTVM exhibuit, qualem promiserat, quid

ſuccenſetis ? quid expetitis ? Sed dura
ſemper ceruice hominũ genus den-
2.Cor. ſum velamen induxiſtis ſuper corda
c.3. veſtra, *vt videntes non videatis*, &
Matt.
c.13. perpetuas iras neglecti Numinis pro-
Luc.c.8 uocetis. Ternas paſſi eſtis captiuita-
tes, quarum cauſæ quominùs ad ve-
ſtra crimina ſint referendæ, inficias
ire nequaquàm licet: Ægyptiã (quæ
cum iure belli minimè fuerit, ſerui-
tus potiùs dicenda videtur) ob Ioſe-
phum à fratribus venditum; Aſsyriã,
& Babylonicam (lubet enim è dua-
bus vnam conflare, quæ ab vna, ea-
demquè cauſa profectæ ſunt) ob im-
pietatem violatæ Legis, & Idolorum
cultum; præſentem, quæ diſperſio, &
diſſipatio veriùs appellanda eſt, à de-
uaſtata per Titum Cæſarem Hieroſo-
lyma; quæ nulla ciuitate, nullò re-
gno, nullò tempore definitur, quã
fœx humani generis omnibus morta-
libus, omnibus legibus paretis, & vul-
gò

gò inuisi vnumquemque vel despe-
ctissimum adoratis. Hanc porrò, quæ
captiuitatum omnium maxima, cui
flagitio acceptam refertis, nisi vestrū
in CHRISTO domino fateamini
parricidium? Deicidium? è duabus
reliquis vos DEVS exemit haud mul-
tos post annos, ex hac, quæ tot se-
cula comprehendit, quis vos asseret
in libertatem, ac pristinum decus, si
DEVS ille asserere dumtaxàt potest,
cuius vnigenitum interemistis, eius-
que sanguinem vestris ceruicibus as-
persistis, ac nepotum nepotibus sacrū
esse voluistis? Hìc autèm ridere in-
primis lubet nonnullorum è schola
vestra sapientum impiam, infandam-
què calliditatē, qui ad CHRISTVM
quidèm enormem huiusmodi capti-
uitatem referunt, sed CHRISTVM
ipsum flagitij auctorem facere nō ve-
rentur, quippè qui, cum homo esset,
DEVM se fecit; interfectores absol-

uunt. O' nefarium commentum, ò perfidiam omni lege plectendam, sed planè stultam. Si CHRISTVS deliquit, violauitq; sempiterni Numinis maiestatem; *si per rapinam arbitratus est esse se aequalem DEO*, cur in interfectores, qui iustitiam vlti sunt, interfectorumq; genus de Coelo saeuitur, cum mercede potiùs ornandi forent? CHRISTVS proscriptus, Cruci affixus, exterminatus facessat è mundo. At contrà est; CHRISTVS viuit, CHRISTVS regnat; vos vsqueadeò attriti estis, vt deleti omninò iaceatis de libro viuentium. Proh DEVS immortalis, quas adhùc fabulas, quae agitatis animo deliramenta. Si quis interroget, vbi nunc regnum? vbi Templum? vbi sacrificia? vbi legitima successio Pontificum, distinctio tribuum, aliaque illustria vestri sanguinis ornamenta? quàm insulso carmine respondetis. Sedere

ad Phil. c. 2.

sub

ſub iugis Caſpijs à Salmanaſare tranſlatas decem tribus: ibi regnum eſſe, ibi aras ex præſcripto legis, ibi imaginem extare veſtrarum veterũ magnitudinum. Detur oppidò rem ſic ſe habere, quod quam longiſſimè à vero abeſt, cum eas penitùs abiecerit, ac ſine honore diſſipauerit diuinæ iuſtitiæ ſtabilita ſententia; at eanè eſt promiſſa tellus auctoribus veſtris, lacte, ac melle fluens? neque potiùs loca vt plurimùm tetra, inculta, aſperitate Soli, & inclementia Cœli perindè immania, & formidoloſa? ibinè Hieroſolyma regni caput? imperatnè popularibus illis tribus Iudæ, & Dauidicus ſanguis? quo conſilio benè, beateq; habebunt decem tribus, quæ ad CHRISTVM neutiquàm pertinent, tribus autem Iudæ, cuius ſemini CHRISTVM deberi ve- Gen. c.49.
ſtriſmet codicibus eſt conſignatum, Pſ.131.
diſperſionem, captiuitatemq; miſer- Mich. c.5.

rimam tolerabit? Hæc autem quomodò incorrupta, in quam cùm ex alijs tribubus, tùm ex gentibus proselyti varijs tempestatibus irrepserũt? exploratum quippè, compertumque est DEVM Opt. Max. eam tribuisse dilecto populo fœcunditatem, quæ arenam maris æquaret, haud tantum vt ob flagitia latè diffusus doceret gentes veri Numinis maiestatem (si modò ille in omne facinus paratus nõ fuisset, ex quo plerique arbitrarentur fieri non posse, vt purissimus DEVS generi se inquinatissimo reuelasset) verùm mirificè in primis auxit tribũ Iudæ, vt CHRISTI genus indubium sub oculis hominum versaretur, nequè à Verbo assumpta humanitas in controuersiá vocari possit. Quòd si permixta, corrupta, contaminata, quænam fuerit CHRISTI sanguinis certitudo, antequàm adesset? deindè verò cur hanc DEVS cõfundi per-

permisit, si nondum venit? cur Sinagogam vestram disiecit, & nusquàm consistere passus est, Ecclesiam nostram amplificauit, & florentissimam esse voluit? Ridiculis planè rationibus innitimini, qui in tanta rerũ vestrarum desperatione vestrum adhùc vindicem expectatis, neque videtis carnali, corporeæq; Israëlitici sanguinis successioni, quam vobis vsquè ad numerum stellarũ Cœli vbiquè multiplicatis hilari animo, atque cõcordi relinquimus, spiritalem, vt ita dixerim, filiationem ex fide Abrahæ in nobis fuisse substitutam, vt nobiscum intelligatis & CHRISTI victoris aduentum, & libertatem humani generis ad spiritum pertinere, qui seruus miserè peccati erat. Cuius sententiæ constantissimam veritatem quotiès, DEVS bone, inculcauit maioribus vestris CHRISTVS ipse, quem profectò ea vitæ sanctitas illustra-

Gen. c.22.

ad Gal. c.3.

Io. c.8.

stra-

ſtrauit, & diuina virtus miraculorũ, vt credendum illis omninò fuerit, qui talia gereret, mentiri non poſſe. Poſtquàm autem, & mortuus eſt, & reſurrexit? quid egiſtis? illum negaſtis, & negatis fuiſſe CHRISTVM. O' egregiam, nobilemq́; prudentiam, quaſi verò non ſit CHRISTVS, niſi eum recipiatis, & CHRISTVM, ac DEVM veſtro arbitrio faciatis. quid, inquam, egiſtis? Politicũ mortalium morem ſecuti eſtis, ne malè feciſſe videamini, mala plurima cumulaſtis, ne veſtra periclitaretur inanis in terris exiſtimatio, DEI filio ſuum honorem abſtuliſtis, & quantùm in vobis fuit, detraxiſtis diuinitatem, perindè ac ſi alius DEVS foret, ad quem perfugium haberetis, ac ſubindè animarum ſalutẽ in Cœlo ſolidam reieciſtis, voſque ſempiternis ignibus addixiſtis, neque enim defuncto corpore fallere licet tribunal

Iudi-

Iudicis immortalis. Pergite itaque alacres in vijs vestris, & quandoquidem CHRISTVM seruatorem vestro indignum cultu censetis; Antichristum opperimini iure dignitatis Satanæ primogenitum, cuius quidem Satanæ, non Moysis discipuli estis; neque enim cum Moyse conuenire potest illis, qui à CHRISTO domino, & Redemptore nostro, cuius Moyses seruus fuit, alienos se esse profitentur.

Aduersùs gentem perfidam, & præ cunctis ingrati animi vitio laborantem longiorem me fecit iustus dolor; neque id ab instituto nostro abhorret; etenim si suam salutem respuerunt, & respuunt, qui tot beneficijs perpetuò affecti, tantisq; luminibus afflati palàm fuerunt, cur in DEVM referimus perniciem mortalium, quos ab innata prauitate nulla abducere benignitatis officia queunt, nulla bo-

norum

norum largitio poteſt? Eccè igitùr quemadmodùm euenta rerũ humanarum, nec non ipſa regnorum viciſſitudo mortalium diuino conſilio diſpoſita eò ferebantur, vt veritas oſtenderetur, amareturq́;, & ad cognitionem CHRISTI venturi terrarũ Orbe latiſſimè comparato, animarũ incolumitati conſuleretur. Quo ex capite nobis egregiè vſuuenit, vt nequaquàm vitio vertendum ſit, quod videtur nefas eſſe, miſcere nimirùm prophana ſacris, cum ea ſic coniunxerit DEVS ipſe, vt ſegregari minimè valeant: non id quidèm, proùt Politicorum plerique ſentiunt, vt ſacra ſeruiant terrenis imperijs, ſed vt imperia ad religionem, ad DEVM referant quicquid vel obtinent, vel conantur. Mortali porrò vita perfuncto inter prodigia frementium Elementorum, & ſupernorum deliquia luminum CHRISTO domino,

aboleuit *ſtultitiam*, *euacuauitq́; ſcandalum Crucis* ipſa, quam nupèr attigi, exanimati corporis reſurrectio; *ad Gal. c.5.* neque enim vſitato hominũ ritu interficiendo, profligandoquè vincere CHRISTI fuit, ſed ferendo, moriendoq́; potentiam Dæmonum debellare, ac mortem opprimere diuinum eſt. quod ex ipſius admirabili reſurrectione eluxit. Nec verò defuit occaſio præſens, qua mentium oculi aperirentur, nam *in omnem terram* *Pſal. 18* *exiuit ſonus eorum*, qui cum illo in humanis fuerant, *& in fines Orbis terræ verba eorum*; quò Iudæorum in- *Act. c.8* dignatio, & fideliũ Hieroſolymis expulſio diuino conſilio ſpectauit, & primas ianuæ fores aperuit. Et quoniam *non cognouit mundus per ſapientiã DEVM, placuit DEO per ſtulti-* *1. Cor. c.1.* *tiam prædicationis ſaluos facere credentes*, vti ad Corinthios Apoſtoli Pauli ſententia eſt. Neque iam ampliùs

excu-

excusationi locus fuit, cum eò propagata terrarum, ac gentium, quocunque Romana arma, & crudelia exempla ferebantur, vel ipsa confessione inimicorum, Plinij præsertim iunioris, Christianorum hominum lex sit, & consuetudo à sceleribus abstinere, innocentiam vitæ maximam custodire. Quod & didicit aliquandò suo ingenti bono ipsa Roma caput rerum, ac dedit manus.

l.10. Ep.97.

Qua quidem in causa facere non possum, quin tantispèr gradum referam, consistamq; cogitando. Hic mihi enim incredibilis diuinæ prouidētiæ vis, & ratio antè oculos obuersatur in promouenda mira dispositione Romana re, ordinandaq; ad mortalium salutē, atque ingreſsū CHRISTI Regni. Nam tenuissimis ortam principijs per virtutem auxit, propagauitq;, & eò vsquè liberam esse iussit, quoàd æmulatione honesta glo-

riæ

riæ acti ciues ad ortum, ad occasum, ad flagrantes Austri oras, & niuosas septentrionis regiones terra, marique immensi proferrent fines imperij. Itaquè Cn. Pompeij, qui postremus in Ciuitate libera Imperatorum fuit, vsqueadeò victricia signa penetrarunt, vt quæ prouincia ad Orientem extrema fuerat Po: Ro: eius virtute facta sit media, quasi Sanctissimi obsecuta Regis oraculo, vt Redemptor humani generis *salutem operaretur in medio terræ*; quæ nempè notior quæque ditione sub Romana contineretur. Deleta per Dictatorem Cæsarem Republica, & ciuium abrogata æqualitate, res ad vnum deuenit, qui locũ alienæ virtuti aut nullũ, aut vix permitteret, suisque commodis, & luxu metiretur imperium, quò certius rueret. Etenìm ab eo, *qui attingit à fine vsque ad finem fortitèr, ac dispo-nit omnia suauitèr*, in æuo sine æuo

Flor. l. 3.

Psal. 73.

Sap. c. 8

statu-

ſtatutum fuerat, vt *lapis ille abſciſſus de monte ſinè manibus* terreſtrium regnorum prodigioſum ſimulacrum contereret, ac ſolo æquaret. Quambrèm primi illi Iulius, Octauius, Tiberius aliqua virtute claruerunt, & opes ſuſtinuerunt Romani nominis. Porrò Caligula impius, Claudius væcors, Nero infamis prima ruinarum limina reſerarunt, ac deinceps tanta moles ad cadendum, quàm ad ſtandum procliuor fuit. Acceſſit cauſa Numini Chriſtiani ſanguinis inſectatio, donèc victi Cæſares conſtantia noſtrorum, attriti Martyrum fœcunda ſtrage, miraculis territi Cruci affixi DEI religionem, quò magis premeretur, eò acriùs intèr aſſidua decrementa ſuperſtitionũ, ac terreni principatus erumpere, atque inualeſcere conſpicati, alius deſperatione eiurauit Imperium, alius armis deletus eſt: Conſtantinus, cui magni cognomé-

Dan. c. 2.

tum

tum obtigit, veram amplexus fidem Byzantium concessit, & Romam liberè CHRISTO reliquit: Quæ cũ arx esset tanti Imperij, terrena prouinciarum, & gentiũ dominatione subindè exuta sedes CHRISTI regni multò illustrior, & latiùs præsidens effecta est, ac PETRÆ nixum inconcussæ Apostolici culminis domiciliũ; vt ex eo quoquè doceremur optimã partem, quæ non auferetur à nobis, emolumento spiritus contineri. Igitur CHRISTI Regnum à Romano Imperio initio depressum, at depressione alitum, ærumnis educatũ, cædibus auctum, mox ornatum, demùm cultum ad maiestatem summã mirabilitèr adoleuit, ac florentissimè perseuerat, nullaque vi, nullo impetu labefactum sub se videbit interitum seculorum, atquè in æternitate supèr sydera triumphabit. Cuius sceptris qui minùs obtemperant, iam sibi im-

S. Leo ser. 1. in Nat. Ap.

Luc. c. 10.

putent citrà omnem controuerſiam, ſi exilio ſempiterno, craſſiſq; Inferorum ignibus plectentur. Cur autem poſt abſolutum ſalutis humanæ myſterium, poſt pacem ab hoſtibus Eccleſiæ redditam, & obſequium Romani faſtigij tot bellorum incendijs, tot terroribus obnoxia Chriſtiana Reſpublica cùm fuerit, tùm ſit aſſiduè, vti compertum eſt à virtute vt plurimùm Imperia originem habuiſſe, incrementa, acceſsioneſq; comparaſſe, ſtatū memorabilem obtinuiſſe, iuſtitia, fortitudine, modeſtia, continentia, poſtquàm autèm ſeneſcere cœperunt bonæ artes, magnitudine vitiorum corrupta deſijſſe; ità nihil ambigendum, quominùs ſæuitia, ſuperbia, luxus, fraudes plurium malorum cauſa ſint, atque in primis tot armorum tumultibus, totque calamitatibus premantur, ſeu qui venerationem negant rebus diuinis, neque animad-

maduertunt suis vltorem adesse Regum Regem, seu qui fortè, cum eorum sit, negligentiùs diuina procurant, atque ea in toga perficere neutiquàm dubitant, quæ in sago militibus vix licent.

Illud etiam ad nostram de huiusmodi prouidentia, solertiaq; Numinis sententiam confirmandã magnoperè pertinet, ac diligenti obseruatione dignum est, & hominem sub ortu Solis fuisse creatum, & DEI cognitionem, Imperiaq; ibidèm nactã originem esse, mox sensìm processisse, ac propiùs occasum se contulisse, tùm ne qua pars foret Orbis terrarum diuino lumine destituta, tùm etiàm ne fugeret memoriam mortalium, quiqui nati sumus, omnes ad interitum properare, ipsumquè vniuersum finẽ, atquè terminum habiturum. Quo ex contextu rerum exploratum profectò est tres agnoscendæ veritatis gradus,

iuſtitiæq́; capeſſendæ ſingulari beneficio à DEO inſtitutos ſucceſsiuis tẽporibus fuiſſe, naturæ, legis, & gratiæ, vt quò nequiuit primus pertingere, eò ſecundus appelleret, tertius manu deduceret. Quò luculenta illa ſpectant verba Magni Gregorij. *Dominus vineæ naturam generis humani ante legem, ſub lege, ſub gratia, expectando, admonendo, viſitando requiſiuit: ſed prauorum mentes nec inſpirata lex naturalis correxit, nec præcepta erudierunt, nec Incarnationis eius miracula conuerterunt:* ac proindè ij merito effecti sũt, vt videntes non viderint, & intelligentes non intellexerint, cum enim naturæ, legiſq́; lumen ſecuti non fuerint, nequè lumen gratiæ meruerunt.

hom. 31 in Euãgel.

Iſaiæ c.6. Luc. c.8

At ne prætermittamus obiectationem, quam minimè dubito, quin vos prò veſtris acerrimis, atque excellentibus ingenijs, quaſi inuulnerabilem Achillem alterum in aciem pro-

prodire iubeatis: Me nimirùm frustrà suscepisse laborẽ huiusmodi prorsùs inutilem: nam esto tot hominũ millia fuisse suo flagitio æternis cruciatibus damnata, damnarique continentèr; sed cum DEVS tot animas asiduè creat, quas eum non latet fore damnandas, quid prætereà cordato viro cadere in mentem potest, quàm illum laniena hominum delectari? Præclaræ profectò suppetiæ, si quam vim in speciem præseferunt, eandem intimè obtinerent. Ego autem rogo vos; Deusnè à maximo bono abstineat, quæ est creatio animarum, humanæquè sobolis propagatio, ne pereant, qui perire volunt? parentibusnè à procreandis liberis abhorrendum sit, si quem cõtigerit sceleribus operam dare, & laqueo turpitèr vitam finire? *An non habet potestatem figulus luti, vt vasa faciat siuè in honorem domus, siuè in cõ-* Ad Ro. c. 9.

ninò eſt. *Miſericordia Domini plena eſt terra*. Quod ſi adhùc vrgeatis ad tantum euitandum naufragium humani generis, quo rerum ſumma continetur, quare omnipotens Conditor, & Imperator ea hominem innocentiæ firmitudine nō muniuit, & ſepſit, quæ nulla vi, nullo aſtu corrumpi poſſet. Ego autèm perquam facili reſponſione, DEO auſpice nodum explicare confido, & liberæ inprimis voluntatis obijcio collatum diuinitùs beneficiū, quod planè vberrimum, ampliſſimumq; vobis ipſis veſtris hiſce argumentationibus inuidetis. Quæ foret quippè hominis magna laus, qua nihil ſublimius habetur in vita, ſi ex eo benè viueret atquè innocentèr, quod improbè viuere minimè poſſet? At DEVS (inquit Au-

Enchir. c.27. guſtinus) *meliùs eſſe iudicauit de malis benè facere, quàm mala nulla eſſe permittere*, cum haud bonis tantum,

ſed malis etiam benè vti nouerit. At conſtantèr canit inerrantis Eccleſiæ vox. *O' fælix culpa, quæ tantum meruit habere Redemptorem*. At aſſeruit CHRISTVS ipſe *maius eſſe gaudium Angelis DEI ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia*. Quæ ſententiæ omnes deſtruuntur, atque diuinæ miſerationi, inuiolabiliq; iuſtitiæ materia ſubducitur, ſi veſtra iſthæc conſiliorum ratio locum habeat, ſempiterna porrò felicitas, & bonis omnibus affluens perpetuum domiciliũ adeò nè deſpecta res eſt, vt nullo labore, & conatu, nulla induſtria petenda eſſe videatur? id profectò quid eſſet prætereà, quàm negare virtutibus dignitatem, cum nequeunt eſſe flagitia, quod abſurdum perindè foret, atque intercludere aërem luminè, ne libero inceſſu per vniuerſum

Sabba: to Sancto.
Luc. c. 15.

excusationi locus fuit, cum eò propagata terrarum, ac gentium, quocunque Romana arma, & crudelia exempla ferebantur, vel ipsa confessione inimicorum, Plinij præsertim
l.10. ep.97. iunioris, Christianorum hominum lex sit, & consuetudo à sceleribus abstinere, innocentiam vitæ maximam custodire. Quod & didicit aliquandò suo ingenti bono ipsa Roma caput rerum, ac dedit manus.

Qua quidem in causa facere non possum, quin tantispèr gradum referam, consistamq; cogitando. Hic mihi enim incredibilis diuinæ prouidétiæ vis, & ratio antè oculos obuersatur in promouenda mira dispositione Romana re, ordinandaq; ad mortalium saluté, atque ingreſsũ CHRISTI Regni. Nam tenuissimis ortam principijs per virtutem auxit, propagauitq;, & eò vsquè liberam esse iussit, quoàd æmulatione honesta glo-

riæ acti ciues ad ortum, ad occasum, ad flagrantes Austri oras, & niuosas septentrionis regiones terra, marique immensi proferrent fines imperij. Itaquè Cn. Pompeij, qui postremus in Flor. l.3. Ciuitate libera Imperatorum fuit, vsqueadeò victricia signa penetrarunt, vt quæ prouincia ad Orientem extrema fuerat Po: Ro: eius virtutę facta sit media, quasi Sanctissimi obsecuta Regis oraculo, vt Redemptor humani generis *salutem operaretur in medio terræ*; Psal.73 quæ nempè notior quæque ditione sub Romana contineretur. Deleta per Dictatorem Cæsarem Republica, & ciuium abrogata æqualitate, res ad vnum deuenit, qui locũ alienæ virtuti aut nullũ, aut vix permitteret, suisque commodis, & luxu metiretur imperium, quò certius rueret. Etenim ab eo, *qui attingit à* Sap.c.8 *fine vsque ad finem fortitèr, ac disponit omnia suauitèr*, in æuo sine æuo

statu-

ſtatutum fuerat, vt *lapis ille abſciſſus de monte ſinè manibus* terreſtrium regnorum prodigioſum ſimulacrum conteréret, ac ſolo æquaret. Quamobrèm primi illi Iulius, Octauius, Tiberius aliqua virtute claruerunt, & opes ſuſtinuerunt Romani nominis. Porrò Caligula impius, Claudius vecors, Nero infamis prima ruinarum limina reſerarunt, ac deinceps tanta moles ad cadendum, quàm ad ſtandum procliuor fuit. Acceſſit cauſa Numini Chriſtiani ſanguinis inſectatio, donèc victi Cæſares conſtantia noſtrorum, attriti Martyrum fœcunda ſtrage, miraculis territi Cruci affixi DEI religionem, quò magis premeretur, eò acriùs intèr aſſidua decrementa ſuperſtitionũ, ac terreni principatus erumpere, atque inualeſcere conſpicati, alius deſperatione eiurauit Imperium, alius armis deletus eſt: Conſtantinus, cui magni cognomẽtum

Dan. c. 2.

tum obtigit, veram amplexus fidem Byzantium concessit, & Romam liberè CHRISTO reliquit: Quæ cũ arx esset tanti Imperij, terrena prouinciarum, & gentiũ dominatione subindè exuta sedes CHRISTI regni multò illustrior, & latiùs præsidens effecta est, ac PETRÆ nixum inconcussæ Apostolici culminis domiciliũ; vt ex eo quoquè doceremur optimã partem, quæ non auferetur à nobis, emolumento spiritus contineri. Igitur CHRISTI Regnum à Romano Imperio initio depressum, at depressione alitum, ærumnis educatũ, cædibus auctum, mox ornatum, demùm cultum ad maiestatem summã mirabilitèr adoleuit, ac florentissimè perseuerat, nullaque vi, nullo impetu labefactum sub se videbit interitum seculorum, atquè in æternitate supèr sydera triumphabit. Cuius sceptris qui minùs obtemperant, iam sibi im-

S. Leo ser. 1. in Nat. Ap.
Luc. c. 10.

putent citrà omnem controuersiam, si exilio sempiterno, crassisq; Inferorum ignibus plectentur. Cur autem post absolutum salutis humanæ mysterium, post pacem ab hostibus Ecclesiæ redditam, & obsequium Romani fastigij tot bellorum incendijs, tot terroribus obnoxia Christiana Respublica cùm fuerit, tùm sit assiduè, vtì compertum est à virtute vt plurimùm Imperia originem habuisse, incrementa, accessionesq; comparasse, statũ memorabilem obtinuisse, iustitia, fortitudine, modestia, continentia, postquàm autèm senescere cœperunt bonæ artes, magnitudine vitiorum corrupta desijsse; ità nihil ambigendum, quominùs sæuitia, superbia, luxus, fraudes plurium malorum causa sint, atque in primis tot armorum tumultibus, totque calamitatibus premantur, seu qui venerationem negant rebus diuinis, neque animad-

maduertunt ſuis vltorem adeſſe Regum Regem, ſeu qui fortè, cum eorum ſit, negligentiùs diuina procurant, atque ea in toga perficere neutiquàm dubitant, quæ in ſago militibus vix licent.

Illud etiam ad noſtram de huiuſmodi prouidentia, ſolertiaq; Numinis ſententiam confirmandã magnoperè pertinet, ac diligenti obſeruatione dignum eſt, & hominem ſub ortu Solis fuiſſe creatum, & DEI cognitionem, Imperiaq; ibidèm nactã originem eſſe, mox ſenſìm proceſsiſſe, ac propiùs occaſum ſe contuliſſe, tùm ne qua pars foret Orbis terrarum diuino lumine deſtituta, tùm etiàm ne fugeret memoriam mortalium, quiqui nati ſumus, omnes ad interitum properare, ipſumquè vniuerſum finẽ, atquè terminum habiturum. Quo ex contextu rerum exploratum profectò eſt tres agnoſcendæ veritatis gradus,

iustitiæq; capessendæ singulari beneficio à DEO institutos successiuis téporibus fuisse, naturæ, legis, & gratiæ, vt quò nequiuit primus pertingere, eò secundus appelleret, tertius manu deduceret. Quò luculenta illa spectant verba Magni Gregorij. *Dominus vineæ naturam generis humani ante legem, sub lege, sub gratia, expectando, admonendo, visitando requisiuit: sed prauorum mentes nec inspirata lex naturalis correxit, nec præcepta erudierunt, nec Incarnationis eius miracula conuerterunt:* ac proindè ij merito effecti sũt, vt videntes non viderint, & intelligentes non intellexerint, cum enim naturæ, legisq; lumen secuti non fuerint, nequè lumen gratiæ meruerunt.

hom. 31 in Euāgel.

Isaiæ c. 6. Luc. c. 8

At ne prætermittamus obiectationem, quam minimè dubito, quin vos prò vestris acerrimis, atque excellentibus ingenijs, quasi inuulnerabilem Achillem alterum in aciem

pro-

prodire iubeatis: Me nimirùm fruſtrà ſuſcepiſſe laborẽ huiuſmodi prorſùs inutilem: nam eſto tot hominũ millia fuiſſe ſuo flagitio æternis cruciatibus damnata, damnarique continentèr; ſed cum DEVS tot animas aſsiduè creat, quas eum non latet fore damnandas, quid prætereà cordato viro cadere in mentem poteſt, quàm illum laniena hominum delectari? Præclaræ profectò ſuppetiæ, ſi quam vim in ſpeciem præſeferunt, eandem intimè obtinerent. Ego autem rogo vos; Deuſnè à maximo bono abſtineat, quæ eſt creatio animarum, humanæquè ſobolis propagatio, ne pereant, qui perire volunt? parentibusnè à procreandis liberis abhorrendum ſit, ſi quem cõtigerit ſceleribus operam dare, & laqueo turpitèr vitam finire? *An non habet poteſtatem figulus luti, vt vaſa faciat ſiuè in honorem domus, ſiuè in cõ-* Ad Ro. c. 9.

tumeliam, & turpitudinem ministerij? Nonnè ad eiusdem Numinis gloriam pertinent æqua trutina, & benignitas, & iustitia? *Qua de re cum scriptũ sit* (vt D. inquit Augustinus) *vniuersa via Domini misericordia, & veritas; nec iniusta eius gratia, nec crudelis potest esse iustitia*. Cumquè eo loco simus origine, vt quamquàm omnes periremus, nulla tamen iniustitia, nulla iniquitas Numinis foret, ingens profectò est ipsius gratia plures seruari: Execrandum aggredimur procùl dubio nefas, cum insana ducti prurigine audemus arguere diuina iudicia, quorum sapientiam, & vim minimè assequimur cogitando. Satìs est ad calumniam confutandam DEVM ad salutem creare mortales, DEVM ostendere, quæ sit salus. *Neque enim* (Damascenus ait) *supplicÿ, & cruciatus gratia nos effinxit, verùm ad hoc, vt bonitatis ipsius participes simus*. Cæterùm

De Ciuit. Dei l. 12. c. 27.

l. 2. de fid. c. 29

terùm abſque propria, deliberataquè prauitate, luce eſt clariùs perire neminem; nam *perditio tua ex te*, nimiùm trita ſententia eſt: nequè dicendum (proùt monet Eccleſiaſt.) *per DEVM abeſt; quæ enim odit, ne feceris*. Quid verò diſertius fieri poteſt Ioſephi verbis, quà de prodigijs agit excidium Hieroſolymæ præcurrentibus? *Hæc ſi quis reputet, profectò inueniet DEVM quidèm hominibus conſulere, modiſq; omnibus præmonſtrare, quæ ſint eorum generi ſalutaria, ipſos autèm ob dementiã ſuam malis voluntarijs interire.* Quæ ſi contendatis de cladibus humanis dicta eſſe, quæ ad vitam corporum, & ciuilem ſtatum pertinent, ego verò haud temerè argumentum retorquebo, dicamq; eò magis cenſendũ eſſe proſpicere DEVM animarũ indemnitati, quarum conditio, & ratio ſublimior, ipſique propior. Et quidèm cum regio Vate exclamandum omninò

Oſe. c. 13.

Eccleſ. c. 15.

de bello l. 7. c. 12.

ninò eſt. *Miſericordia Domini plena eſt terra.* Quod ſi adhùc vrgeatis ad tantum euitandum naufragium humani generis, quo rerum ſumma continetur, quare omnipotens Conditor, & Imperator ea hominem innocentiæ firmitudine nō muniuit, & ſepſit, quæ nulla vi, nullo aſtu corrumpi poſſet. Ego autèm perquam facili reſponſione, DEO auſpice nodum explicare confido, & liberæ inprimis voluntatis obijcio collatum diuinitùs beneficiū, quod planè vberrimum, ampliſſimumq; vobis ipſis veſtris hiſce argumentationibus inuidetis. Quæ foret quippè hominis magna laus, qua nihil ſublimius habetur in vita, ſi ex eo benè viueret atquè innocentèr, quod improbè viuere minimè poſſet? At DEVS (inquit Auguſtinus) *meliùs eſſe iudicauit de malis benè facere; quàm mala nulla eſſe permittere*, cum haud bonis tantum,

Enchir. c. 27.

sed

ſed malis etiam benè vti nouerit. At conſtantèr canit inerrantis Eccleſiæ vox. *O' fælix culpa, quæ tantum meruit habere Redemptorem*. At aſſeruit CHRISTVS ipſe *maius eſſe gaudium Angelis DEI ſuper vno peccatore pænitentiam agente, quam ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pænitentia*. Quæ ſententiæ omnes deſtruuntur, atque diuinæ miſerationi, inuiolabiliq; iuſtitiæ materia ſubducitur, ſi veſtra iſthæc conſiliorum ratio locum habeat, ſempiterna porrò felicitas, & bonis omnibus affluens perpetuum domiciliũ adeò nè deſpecta res eſt, vt nullo labore, & conatu, nulla induſtria petenda eſſe videatur? id profectò quid eſſet prætereà, quam negare virtutibus dignitatem, cum nequeunt eſſe flagitia, quod abſurdum perindè foret, atque intercludere aërem lumine, ne libero inceſſu per vniuer-

Sabbato Sancto. *Luc. c. 15.*

ſum poſſit excurrere.

Sed neque alio ex capite diſſimulanda DEI ſingularis, atque incomprehenſibilis benignitas eſt, quam enim mercedem appetiuerunt laborum ſuorum, illam ne ſuis quidèm hoſtibus negauit, de quibus, cum ligna, & lapides adorarent, ipſamet veritas pronuntiauit. *Qui non eſt mecum, contrà me eſt.* Alexander ſanè, Scipio, Cæſar in re bellica, Ariſtoteles, Tullius, Maro in literaria induſtria, cum nihil humanã pretèr gloriam expetiſſent, tàm diuturnam, cumulatamq; omnibus permiſit, vt neque tempore corrumpi, neque loco finiri valeat, niſi cũ interitu mundi huius: etenim dum erunt oculi, dum linguæ, facta eorum, ſcriptaq; & legentur, & laudabuntur. Quod ſi humanum hoc decus, & celebritas, quamquàm viuentibus viuat, fato tamèn functis mortua eſt, ac nihil

Matt. c.12.

hil prodeſt, non optimo Numini; ſed ſibi magni huiuſmodi ſuccenſeāt viri, qui quid poſcerent, propterea ignorarunt, quia perquirere neglexerunt. An crimini dandum eſt patrifamilias, qui operario mercedis locó petenti florem, qui nihil confert ad vſum vitæ, ac citò areſcit, florem dedit? an potiùs operario, cui, ſi ſaperet, de pecuniā fuerat oppidò paciſcendum? Cæterùm quicquid diuinis in conſilijs ab humano captu remotum ſupereſt, atque ab æquitate fortaſsè alienum aliquibus videtur, extremo illud in Iudicio palàm fiet. Hoc ad mortalium cogitationum communi rerum explicatione premendos fluctus; hoc ad DEI iuſtitiam, patientiam, clementiam ſub oculis totius generis humani nauitèr exponendam pertinere nemo non videat.

Atquè hæc catena eſt illa, quicumque Aduerſarij noſtri me ad laborem

hunc, quamquã nullius ingenij hominem, veſtra laceſſitum nequitia, blaſphœmijſq; compuliſtis, quam pollicitus initio fui. Quæ vſqueadeò veritati innititur diuini conſilij in rebus explicati perpetuò geſtis in Orbe terrarum, nec non ſeu ſacris, ſeu etiã prophanis literarum monumentis eſt conſentanea, vt nulla ratione vobis ab ea effugium ſit. Quod ſi vos minùs illigauerit in ſalutem, quod vehementer mihi, & cuique bono optandũ eſt, nulliſq; rationibus permoti à veſtra iſtiuſmodi peruicacia Pharaonis priſci hæreditario iure quodã furentes animos abducere contempſeritis, illigabit oppidò in damnationẽ; neque enim ambigẽdum, quominùs innocente DEO veſtræ cladis, quem iuſtiſſimum,conſultiſſimumq; oportet eſſe,in profundum immanis, horrendiq;pelagi mergendi,ac per infinita æternitatis ſtadia excruciandi ſitis.

DE

DE DAVIDE REGE

Quæstio multiplex.

De DAVIDE REGE

Ad SIGISMVNDVM THADÆVM EPISCOPVM CALATINVM VIRVM ILLVSTRISSIMVM

BARTHOLOMAEI TORTOLETTI

Quæſtio multiplex.



VLTÆ à natura inſitæ affectiones ſunt hominum generi, quibus animus aut perturbatur, aut alitur: ſed nulla eſt apud ingenuos perindè acris, & vehemens, vt illa, quam appellant in ſcholis appetitum propriæ excellentiæ; alij honoris, & gloriæ cupiditatem, cuius vi nequè labores, nequè pericula pertimeſcimus, vt metam nobis propoſitam conſequamur. Hanc continuò ſequitur cognitionis amor; quod iter videtur indubium,

quo pergatur ad gloriã. Et hoc eſt, quod magnus inquit Peripateticus. *Omnes homines natura ſcire deſiderant*. Nam licèt *ſcire ſit rem per cauſam cognoſcere*, & vulgò referatur ad ſcientias; artium tamen nulla eſt, quæ ſua principia, ſuas cauſas ignoret: nequè verò militaris virtus erit ad famam, niſi Imperator, & miles rationẽ vincendi calleant. Nos pacati homines, egoquè in primis ſenio confectus, quod primum eſt ſcire, in literis ponimus, atquè hùc omnes ingenij, induſtriæq; opes conferre non dubitamus. Quæ cum ità ſe ſe habeant, quicquid eò ſpectat, quod videatur eſſe præclarum, illud ſanè auidiùs amplector: canes hoc in genere prædarum ſecutus, qui acuto narium ſpiritu cuncta veſtigant. Hanc viam inſiſtenti geminæ ſe obtulere lucubrationes Philonis, & Sophronij (meorum quidem amicorum; ſed qui vt

Ar. in Metaph

Ar. in Poſter.

vani-

vanitatem, plausumq́; humanarum laudum, ac fortassè inuidiam fugiāt, amant ficta nomina) quæ Dauidem Regem maximum tùm censent, tùm vindicant. Et profectò si eruditionē, industriamq́; cogito, tantùm abest, vt mihi videantur contemnendæ, vt etiàm ad ideam prisci æui propiùs accedere non diffitear. Quamobrèm auctores, qui eas scripserunt, si diligebam anteà, nunc mirificè & amo, & colo. Cumquè nostrate lingua dictatæ forent, vti res ipsæ meum planè genium alliciebant, sic etiàm in Latinam transferre operæ pretium existimaui, vtpotè tanto argumento magìs idoneam. Arte, ac methodo sū magnoperè delectatus; nouæ enim visæ sunt mihi, nec valdè abesse, quominùs apud Iudices caūsa agatur, remoto tamen forensi strepitu; nam dū alter alterum consulit, in Dauidē inuehitur; per alterū respondendi par-

tibus satisfit. Dialogorũ quippè forma, quamquàm eloquens, & luculenta, iampridèm exoleuit penès omnes, quasi fastidiant; atquè vt vt sit, Platonis, ac Tullij linquenda est diuinis ingenijs. Disputatione pressa vti, breuibusq; & acutis agere Syllogismis, siuè Enthimematibus scholas sapit, & orientis æui primitias: Qua quidèm re, licèt illa certior sit explorandæ veritatis industria, tamèn non sinè tædio mihi redire in puerum videor; etenìm eam rationem, quæ instrumentum est ad finem, prò fine statuere solet prudentium nemo: sed propterea scientijs imbuimur, vt vsu veniant vel ad loquendum, vt in concionibus, vel ad scribendum. Egregiè Cicero, qui rigentes Philosophiæ scopulos cicurauit, & ad oratoriam amœnitatem traduxit. Cæterùm argumentatio tota ex intimo sacræ Paginæ penu deprompta, & di-

uinis

uinis hauſta fontibus, non riuis ſcatens; quod hodiè rarum. Has tibi per me communes fieri noſtra ſuaſit tùm neceſſitudo, & obſequium ergà te meum, tùm ſimilitudo ſtudiorum ingens; Neque à tua voluptate alienum fore arbitratus ſum, quod mihi ſuauiſſimum fuiſſe etiàm, atque etiã fateor. Tibi, inquã, SIGISMVNDE Præſul Illuſtriſſime, qui & magnos in literis viros amas, & quæris, & ſummus ipſe inter eos es. Etenim & multiplici eruditione præcellis, & in Sanctorum Patrum laboribus deſudaſti aſſiduè, & eloquentiam quàm qui maximè, coluiſti. Quæ ſtudia eouſquè temperaſti ſempèr cum vita ciuili, vt neque ardor in literis ſolertiæ in rebus agendis impedimento fuerit, nequè rerum agendarum ſolertia veſtigandis literis, ſæpè etiam ſcriptione ornandis detrimentum attulerit. Quæ res tùm acumen viui-

dum ingenij tui, tum vim iudicij præseferunt singularem. Sed iam tibi moram inijcere diutiùs nolo, quominùs vtrumque audire valeas. Ad tuum tribunal ambo stant; tuum iudicium subeunt. Tu æquas præbeto aures differentibus, & controuersiam dirimè, quà opus fuerit. Philo prior in arenam descendit.

AD SOPHRONIVM PHILO.

CVm duo sint, quæ in communi hominum vsu vt plurimùm accidunt, alterum incredibilis diligẽtia in Virorum illustrium vitijs, si qua sunt, inuestigandis; alterum impatiẽs sollicitudo in amicorum turpitudinibus celandis, aut nauitèr excusandis, haud satis commodè statuere valeo, an impulsu naturæ id fiat, an amore virtutis, nam vtrunquè censeri potest. Tamèn cum de veteribus res

eſt, atquè à pluribus ſeculis extinctis, nequè aduersùs veteres odium, inuidia, beneuolentia, cæteræq; animi affectiones vigent, ad virtutem potiùs referendũ puto quicquid ſtudij huiuſmodi vſurpatur in vita, quàm ad perturbationem quampiam. Quod de me in primìs affirmare idcircò licet, quoniàm meorum conſiliorum intimus mihi ipſi teſtis ſum, qualis præterea nemo. Etenim aut veritas quæritur, neque à laude abeſt eiuſce generis perquiſitio; aut ideò ſcrutamur, vt videre liceat, qua ratione Virum alioqui præclarum à contumelia, & dedecore, ſi qua noxa inficitur, tueri poſſimus; & hoc cum laude coniunctum eſt. Mihi cum primus fuerit educatione optimi Patris ſacer Bibliorum tritus liber, Dauid Rex inſedit animo intimus, & cultus in paucis. Mirabar ſanctitatem hominis in ſumma fortuna, prudentiam, fortitudinẽ;

Laudabam ſtudia religionis, bella felicitèr confecta, regnum opulentum poſteris traditum. & magna me cupiditas plerunquè inceſſit ſcribendæ vitæ tanti Principis, niſi nonnullos in ſcopulos incidiſſem, qui cum ad vitium nonnihil ſpectare videantur, nequè de eo audebam dicere, quod Virum abſolutiſſimum minùs deceret, nequè me nullius ingenij hominem reſoluendis eiuſmodi nodis idoneum eſſe ſentiebam; meque ipſum, non Dauidem, condemnabam, cui criminis notam inurere profanũ eſt. Ambroſius quidem Vir ſanctiſſimus, & ſacrarum literarum lumen eximiũ Apologiam ſcripſit pro Sancto Dauide admodùm elaboratam, & vtroquè dignam; imò geminas, ſi modò poſterior illius eſt, de quo valdè dubitant viri grauiſſimi, ác præſertìm Bellarminus doctrinæ, atquè innocentiæ laude, quàm purpura clarior.

De ſcri-pturis Eccleſ.

Sed

Sed præter Vriæ cædem, atque eius cum vxore conſuetudinem, nihil attigit, quod ad eas rationes pertineat, quæ mihi negotium faceſſunt. Alij, quos viderim, aut leui calculo tranſegere, ea illi fortaſsè vitio danda minimè rati, quæ ne facer quidèm dedit Hiſtoricus, qui nobis ad rectam rerũ lineam propoſitus eſt; aut mihi omninò non ſatisfaciunt, qui non myſterium quæro, ſed literã. Quamquàm autèm ſcribendæ vitæ, quod alij illuſtriùs fecerunt, vnà cum vigente ætate ambitio deferbuit, tamèn iucundiſſimum mihi erit illud impetrare, ne quid caliginis hac in re animum occupet, quominùs veritatis lumen perfectè videre priùs queam, quàm ad ſepulchrum perueniã. Quocircà tu Sophroni humaniſſime, qui tantus es vir, tàm ſapiens, & in ſacris voluminibus verſatus, patere, te etiã, atquè etiàm obſecro, vt ad te perfu-

gium habeam, ac de tuo fonte petam salubrem laticem, quo mea hæc sitis extinguatur. Vetus est hic in Ecclesia mos. Consulebant se inuicèm de rebus dubijs antiqui Patres. Consuluit ipse Hieronymum Augustinus; & mihi despecto homini est honorificum postulare, & tibi summo viro non indecorum permittere. Quod cum ab tua humanitate constantèr mihi pollicear, ad proponendas Quæstiones huiusmodi accedere neutiquã dubito.

Quæ Dauidis errata sacrosancta fatetur Historia, quorumq; ipse pœnitens (prætèr diuinam vltionem, quæ statìm secuta est) defleuit insaniam, mei non est propositi recensere. Non Vriæ interitum, non in Bethsabea dedecus, non in censendo populo ambitionem attingam: satis in hac palæstra, vti modò memoraui, D. laborauit Ambrosius, laudauitq; hominis

nis pœnitentiam. Quæ commissa, proùt nupèr inquiebam, eidem non videtur vitio vertere sacer textus, ea mihi in controuersiam nonnihil cadunt, & senis capitibus continentur. Primũ ad Nabalem pertinet in Carmelo. Secundum ad Amalecitẽ adolescentem qui Saulis obitus nuntius fuit. Tertiũ ad excidium Vrbis Rabbathæ Ammonitarum. Quartum ad Amnonem primogenitum Regis. Quintum ad Sibam seruum Miphibosethi. Sextum ad præcepta pleraque Dauidis vltima filio tradita Salomoni.

Primi Regum c. 25. prioris facti in hanc sententiam dictatur historia, Dauidem Saul inuidia virtutis, & odio successionis cum delectũ trium millium acerrimè insectabatur. Illi per inculta, & solitudines vago, & profugo nusquàm tutus consistendi locus erat; & præda non sinè periculo

ex hostibus capta, ægrè vitam cum suis stipatoribus sustentabat. Fortè ad Carmelum montẽ secesserat aliquandiù. Ibi Nabal homo potens, opulentusq́; agri, & pecorum valdè pascuis vberrimis vtebatur. Vbi adfuit tondendi tempus, quam rem incolæ magna cum ambitione, & conuiuiorum pompa celebrabant, Dauid ad Nabalem rogatum misit, vt quandoquidèm nullum à suis detrimentum ceperat, imò eius rebus defensioni fuerant, præsentibus suis annonæ difficultatibus subuenire vellet. Renuit ille homo durus, vti locupletes plerunquè solent, & sermonibus acerbis malè habitos nuntios remisit. Dauid indignitate rei, & contumacia hominis lacessitus cum expedita strenuorum quadringentorum manu mouit è loco eo consilio, vt tantam contumeliam in Nabalem, vniuersumquè Nabalis sanguinem interne-

cione

cione pessima vlcisceretur, persecissetq; nisi Nabalis vxor Abigail matrona prudens comperta iniuria, & periculo capitum, obuiàm profecta festinantem placasset vltorem, & laboranti commeatu militi opem tulisset.

Hac in re, si ritè animum aduertimus deliberata voluntas vlciscendi erat; quæ satis est ad constituendum facinus de Iure Diuino. Neque enim audiẽdus mihi videtur Abulẽsis (quod pace tanti viri dictum sit) qui eiusmodi voluntatem Dauidi fuisse negat, cum verba textus contrà pateãt. Itaque in controuersiam non temerè vocari arbitror, id nec ne bono iure Dauid patrare potuerit, an fecerit cõtrà fas. Quod ad rem familiarem attinet, palàm est penès omnia iura humana, diuinaquè vnumquemquè dominum esse rerum suarum, dequè ijs statuere arbitrio posse. Quocircà *In primum Reg.*

si po-

si postulata Dauidis reiecit Nabal, nequè suamet alienis hominibus permisit, suo iure vsus fuit. Quod si Dauid hoc ad suam spectare offensam iudicauit, & ad vltionem rapiebatur, iam non est petere, sed velle vi, quam vi itidem repellere licet: neque enim ius vllum Dauidi erat in rem Nabalis; atquè idcircò peccasse videtur aduer-
Exod. c. 20. 14 sùs Decalogum, qui alienam rem aperrè vetat non modo attrectare, verum etiam concupiscere; vi auferre multò magis. Quod ad personā spectat, mihi verò in mentem non venit, quam ex æquo obtineret Dauid potestatem in vitam Nabalis, vt in illum tamquàm in sontem animaduerteret, & (quod grauius est) innoxiam familiam deleret; nam *anima,*
Ezech. c. 18. *quæ peccauerit ipsa morietur*; Nondum enim erat Rex, quamquàm successor destinatus, nequè in successorem ius recidit, nisi præcessoris resoluto priùs

iure;

iure; quæ res nulla indiget probandi necessitate. Vbi autèm quis obijciat censendum esse ex eo tempore translatam fuisse in Dauidem regnandi facultaté, quo eum DEI iussu Samuel vnxit, si de radice, ac titulo loquimur, non dissentio; si de vsu, & de eo, quod de facto secutum est, secùs oppidò statuendam; etenim & admodùm puer, ac regni incapax vnctus fuit, & haud priùs etiam post Saulis excessum capessiuit dominationem, quàm suffragium populi accederet, ac legitima electione confirmaretur. Quamobrèm cum pœna infertur ab homine potestatem minùs habente, hoc quoquè aduersùs Decalogum est proximum interimere; extatq; disertis verbis in Leuitico c. 19. *Non quæras vltionem, neque memor eris iniuriæ ciuium tuorum*. Alias leges nostro in casu afferre non est necesse, quàm Moysis veterem, quæ Dauidi nota

1. Reg. c. 16.

Leuit. c. 19.

peni-

penitùs, & perſpecta. Demus autèm omne ius regium quoàd vſum quoquè penès Dauidem legitimè fuiſſe; at virum quærimus omnibus numeris abſolutum, de quo ſine rubore dici queat fuiſſe hominem ſecundum cor DEI. Cuiuſmodi apud Ethnicos ſummæ, & perfectæ virtutis viri Heroës vocabantur, & Ariſt. Ethic. 7. c. 1. hanc appellat Heroicam, & diui-
Eth. 7. c. 1. nam virtutem, quæ humanitatis fines vtiquè ſupergreditur. Porrò immanitati cum ſit oppoſita, qua ratione abſquè manſuetudine conſtabit, quæ primo loco ad ipſam pertinet? Quomodò clamabit immunis Dauid à nota mendacij? *Memento, Domine,*
Pſ. 131. *Dauid, & omnis manſuetudinis eius?* Quomodo iurabit? *Si reddidi retri-*
Pſ. 7. *buentibus mihi mala*. Et complura generis eiuſdem? Et profectò mea dubitatio nō parùm ex eo fouetur, quòd inhibuit DEVS per mulierem indi-
gni

gni operis perfectionem; tametsì, vt paulò antè monstratum est, iam cõceptum, patratumq́; animo fuerat; pari namquè procedit gradu homicidij cum stupro ratio, de quo prodidit ipsa veritas. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo.*

Venio ad secundum locum, quæ primo cap. 2. Reg. habetur narratio. 2. Reg. c. 1.
Saul cum Philistæis aduerso Numine signa contulerat; pulsus, profligatusq́; tres etiam in cæde populi amiserat liberos. Ipse in fuga saucius, & languens, ne in hostium imminentium manus viuus ad ludibrium perueniret, gladio incubuit: Cumquè transuerberatus nequè viuere, nequè mori posset, Amalecitem vocauit adolescentem, qui extremam sibi manum ad necem præberet. Paruit adolescens, desperatis omninò rebus; & ad Dauidem, quem sciebat oraculo

regnaturum, vnà cum regijs inſignibus contendit. Dauid audita re, opinantem iuuenem ſe fauſta nuntiaſſe, proùt fallitur humana mens, tãquàm violatorem regij faſtigij, & ſacrilegum, obtruncari mandauit.

Non hoc in facto diſputare libet de Dauidis auctoritate, de qua non temerè fortaſsè ambigi poteſt; nam etſi Saul deceſſerat, nondùm tâmèn fuerat Dauid ſuffragijs populi confirmatus. Sed cum ſeu adoleſcentis animum, ſeu facti ipſius naturam exploro, illius miſeri crimen oppidò non inuenio. Deſperata ſalus Regis erat; Rex iubebat; quid gerendum? nequè enim imperito, & alienæ religionis homini compertum eſſe poterat, quid fas eſſet. Eam vltionem ad tuẽdam opinionem Dauidis virtutis regnum inituri, atque ad beneuolentiã populi conciliandã pertinere inquiũt Politici. Nam cum Saul crudelis in-

primis inimicus Dauidis fuerit, videbatur profectò argumentis omnibus declarandum Dauidem neque consensisse cædi eius, neque voluptatem ex ea percepisse. Addent è Republica fuisse huiusmodi experimento à nece Principum cæteros deterrere. Sic Alexandrum supplicio affecisse *Curt. l.7.*
parricidas illos, qui Darium confoderant, quamquàm hostem; Sic Dictatorem Cæsarem Pompeij interfectoribus minimè pepercisse; *Plut. & alii.*
Sic Claudium Caij, *Ioseph. Ant. l. 19. c.3.*
Vitellium Galbæ occidionem vltos fuisse: *Tacit. Hist. l.1.*
Hanc esse *Regum omnium causam, quam negligere iuxtà indecorum, & periculosum; tradito nimirùm Principibus more munimentum ad præsens, in posterùm vltionem.* *Tacit. Hist. l.3.*
Ita Curtius, Iustinus, Tacitus, Iosephus Flauius, & alij plures. Ego verò ad hæc bina capita, nisi fallor, per quàm facilè respondebo. Hoc autèm postremum, vt ab eo exordium sumã;

nihil me mouet; etenim nulla est in rebus similitudo, nulla proportio. Darium Bessus proditionis reus vulneribus cõfecerat; Pompeium Ægyptij Spadones specie honoris, & amicitiæ contrucidauerant. Galbam deterrimi homines obtruncauerãt; Caiũ sui milites interfecerant; in omnibus hisce cum perfidiæ crimen locũ haud mediocritèr habuerit, pœnas meritò dederunt. Nihil tale in Amalecite, qui adeò insons, vt illi Saul suæ calamitatis finem debuerit; Dauid au-
2. Reg. 4. tem proùt ipse postea fassus est, *etiàm mercedem dare prò nuntio*. In primo Politicorũ argumento maior fortasse moles censenda est. Dauidi existimationem, & famam suam eo præsertim tempore validis significationibus fuisse muniendã, suspicionemq; auertendam, ne grata ipsi fuerit Saulis mors, haudquaquàm dissentio; at cum aliena iniuria, & detrimento, a-

nego, multò minùs cum innocentis hominis extremo supplicio. Non enim sunt facienda mala, vt indè sequantur bona, & fiat ius, ac pereat mundus, vsurpant vbique Iureconsulti; cum præsertim non deessent instrumenta idonea, quibus Dauid conceptam de se opinionem tueretur. Quod si secùs foret, omne oppidò flagitium liceret, quod Principi commodum videretur. Et profectò hùc potissimum pertinet prudentia Politicorum, qui eousque dominantium famam obtentui habent, vt illis eam ob causam omnia fanda, infanda permittant, eaque ex dignitate, & Republica statuant. Nequè ab re fuerit exemplum subijcere memorabile, quod Augustinus Nyphus doctrinæ Peripateticæ eximius illustrator, & vindex in suo quodam de Principe commentario recenset. Miserat Valentinus Dux (noti nominis Tyran- *Nyphus de Princip.*

nicidanè, an Tyrannus deterior, incertum) Prætorem ſibi fidum hominem in Æmiliam, & Cæſenæ, ſi ritè memini, ſedere iuſſerat, datis clàm mandatis, vt primarios quoſdam ciues, qui ſibi vel fuerant aduerſati, vel in poſterùm aduerſari potuiſſent, è medio tolleret, & papauerum capita meteret. Ille diligentèr quæſitis cauſis executus imperium, totam breui impleuit luctu, & funeribus Ciuitatem. Inde conferti ad Ducem queſtus, & validæ aduersùs Prætorem accuſationes. Omnibus Valentinus prò tempore ſatisfecit miti reſponſo; dum nimirùm primi illi motus, & recentia vulnera deſæuirent; ſe propediè̀m adſuturum, ac de rebus ex æquo cogniturum. Poſtquam acceſſit, patente aula cunctos benignè, ac liberalitèr excipiens tùm viros, & matronas audiuit, tùm libellos ſupplices legit, & incredibili angi ſe ſimulans
dolo-

dolore animi, Prætorem accersiri iussit. Vbi adfuit, tùm verò Dux minitabundus, & furens, quasi nihil tale præcepisset. Tunè (inquit) ausus es hasce strages edere contrà fas, sceleratissime hominum, me inconsulto? atquè adeo indignas aspergere maculas meo nomini? Nequè expectata responsione, hominem nudato celeritèr pugione transuerberauit. Hoc immani prorsùs, barbaroquè consilio suomet scelere in alterum callidè traducto nõ modò se imperitæ multitudini, ad quam sanguis à Prætore fusus nequaquàm spectabat, sed ijs quoquè, quorum de offensis agebatur, strenuè probauit insontem, ac beneuolentiam singulorũ non sinè magnis laudibus comparauit. Qui tamèn quàm rectus sit ad tuendam famam gradus, videant quicunquè iustitiæ laticem vel summis labijs delibarunt, & de Politicorũ sapientia dijudicent.

Tertio Rabbathæ clades succedit
2.Reg. c.12. numero, de qua 12. c. eiusdem 2. Regum. Bellum atrox intercedebat Israëli cum Ammonitis. Ioabus Dauidicarum copiarum Ductor summus Rabbatham hostium Vrbem regiam oppugnabat. Cum propè esset, vt caperetur, quò gloriam victoriæ vsitato ducibus more ad Regem traheret, eum de statu belli certiorem fecit, vt nouis cum delectibus accedere festinaret. Adfuit Dauid; Vrbem in potestatem suam redegit, diruit, vastauit, populum insigni crudelitate, ac sæuitia transegit; ferratos quippè super eum currus immisit, cultris in frusta cõcidit, plerosque spirantes adhùc in laterum fornaces iniecit, nullumq; omisit atrocioris supplicij genus, quod victis hostibus non inferret. Idem reliquis Ammonitarum oppidis fieri iussit.

At hic quoque vbi est, oro, Da-

uidis totiès decantata de se ipso mansuetudo ? Si verum fateri licet, Dauidem in Dauide non video. opera hæc notam præseferunt barbari hominis, immanis, feri, non Prophetæ, non viri secundùm cor DEI. Non Pœnus Annibal, non Sylla, non Marius aduersùs victos adeò cruenti, ac truces fuere. Non Antiochi,non Nerones, non Decij, Diocletianiq; truculentiora cruciatuum genera excogitarunt, quibus Martyres punirentur. Magnæ, inquies, iniuriæ intercesserant, violatis contrà ius gentiũ Dauidis legatis, magnus contemptus, qui exempla itèm non vsitata requirebant, vt cæteri deterrerentur. At vltionem concedo; sæuitiam nequaquàm. Addes, à Moyse, ac deincèps Israëliticum populum constitutum à DEO fuisse dominum earum gentium; itaque abuti eis licuisse proùt libebat. Non aduersor; sed huma-

nitas cogitanda. Homo ſum, humani à me nihil alienum puto. Alteri ne feceris, quod tibi fieri minime velis. Hæc documenta, hæc præcepta naturæ ſunt. Neque Athenodorus Roma digrediens aliud monumentum ſui petenti Auguſto reliquit, quàm ne manſuetudinem, humanitatem, clementiam exueret, per iram nihil ſtatueret. Ludit verò, niſi fallor, Didacus Celada cum alijs, & acris, ac viuidi vir ingenij poëtam agit, cum abdicatam tantoperè hac in re à Dauide clementiam in amorem, & luxum refert, quo eo tempore laborabat, quaſi vis amoris & impetus Veneris efferare mortales valeant. Ludit, inquam; nam etsì eiuſmodi ſententiæ locus foret; tamèn ſuum Dauid ſcelus deplorauerat, veniam impetrauerat, Bethſabeam iam coniugem iuſto in thoro apud ſe habebat, & ardentes illæ faces libidinis

Celad. in Iudith.

deflagrauerant. Quocircà Heroica illa, & diuina virtus hoc in vſu victoriæ nequicquàm quæritur, cum, ni mea me decipit opinio, planè non extet. Porrò iam iam in oppoſitum ſcena mutabitur.

Quartus dubitãdi locus è ſequenti capite oritur 13. 2. Regum. Erat Dauidi filia nubilis nomine Thamar formoſiſſima puellarum eadem matre orta, qua Abſalom pulchritudine memorabilis. Hanc Amnon primogenitus Regis, qui ad maturam ætatem adoleuerat in ſpem Regni, cum perditè infando amore deperiret, tandèm dolo inductam vi corrupit; tùm libidine in odium verſa, ſeù flagitij fato quodam, ſeù immodicæ natura cupiditatis, vt aqua fit poſtquam æſtuauit, frigidior, contumelioſè increpitam domo expulit. Virgo, non iam Virgo, amiſſa pudicitia, & conuicij iniuria affecta lacrymabunda

2. Reg. c. 13.

Abſa-

Absalomo fratri rem aperuit. Nequè Patrem latuit facinus; sed indulgentia ex paterno affectu fractus, nequè sui potens ne verbo quidèm incœstum castigauit adolescentem. Indè turbæ exitiabiles erupere, quæ statum regni conuellere, & in extremum discrimen adducere potuerunt; Amnon quippè à læso fratre interfectus: hic aliquandiù exul, deindè redux à Patre desciuit, magnũ contraxit exercitum, Regem ipsum præcipitẽ egit in fugam. Quod ni occubuisset Absalom in certamine cæsis suorum viginti millibus, nequè penès Dauidẽ stetisset victoria, actum profectò fuerat de huius capite, ne dùm de regno.

Commendent mihi nunc, atque adeò imperent nostri Theologi, & Canonum, qui ad conscientiam pertinent, Collectores correctionis fraternæ necessitatem, qua in re tàm

diligenti laborant industria, cum vir sanctissimus tali in scelere non modò virgæ, sed linguæ parcit, cum Rex iustitia præcellēs subditi hominis nefarium crimen dissimulat, cum pater bonus impudentissimi filij execrandum, & væcors flagitiū silentio prætérit. Etenim cum hisce omnibus titulis teneretur, excusationi satis minimè esse videtur, quicquid in medium afferatur. An pepercit, quia cum recens esset ipsius vlcus ob Bethsabeam, aut erubuit exemplo, aut veritus fuit, ne animaduersio parùm ponderis esset habitura, quòd æuo iam grauis in eodem cœno deprehēsus fuerat? At Tiberius Imperator homo Ethnicus, & vitiorum mancipium turpe, ea in cæteris flagitia seueriùs vindicabat, quorum ipse maximè flagrabat infamia. Itaque ex eo causæ nihil erat, quominùs Dauid noster boni patris, bonique regis par- *Dio. l. 57.*

 tibus

tibus satisfaceret. An paternæ beneuolentiæ, cuius incredibilis vis est, sic danda est huiusmodi dissimulatio, vt culpa caruerit? non cócedo; etenim L. Brutus, quem admirari non desino, veritatis licèt lumine destitutus, binos tamen filios Reipublicæ causa securi subijcere non dubitauit. Paterna quidèm beneuolentia, & metus, ne Amnoni mœrorem afferret, in causa fuere, cur nulla significatione Dauid offensionem suam testaretur, cum id sacer asserat textus disertis verbis; sed non video, qua eum ratione tueri possimus, quominùs & in DEVM; & in Rempublicam peccauerit. De DEO nihil attinet disputare, nam hoc est in primis, de quo quæro, & tuam, Sophroni, sententiã desidero, qua ratione Dauid à peccati labe immunis censeri queat, cum peccanti grauitèr filio nihil pœnæ irrogat, nihil obiurgat, nihil succenset,

Liu. l. 1 Plut. & alii.

ne

ne temerè glorietur, quandò ait. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*. & alibi. *Dixi iniquis nolite iniquè agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu*. Sed de Republica non silebo. Nam reos plures creat, qui vnũ non punit; non odio quidèm illius; sed ne reliquis exẽplo corruptis Respublica dissoluatur. *Maximam* quippè *illecebrã esse peccandi impunitatis spẽ* Tullius noster asseuerat summa prudentia. Domestica verò documenta quantum momenti afferant ad populum coërcendum, superuacaneum est oppidò memorare: etenim illud continuò vnicuique in mentem venit, si Rex suo sanguini non pepercit, ne cæteris quidèm peccandi licentiã impunè futuram. Neque enìm clàm res fuerat, sed per Vrbem palàm fœmina princeps, filia Regis venustissima, scissa talari tunica, lamentata facinus domum peruenerat. Quod Ps. 100. Ps. 74.

si quis

si quis obijciat de mansuetudine, quasi hæc silentij causa Dauidi fuerit, & memorabile illud recenseat magni Principis dictum, abdicare velle se principatu, si ad puniendum princeps sit; se autem ad prohibendum esse, ne sint, qui puniantur; nihil est, quod magnoperè laboret; nã & mihi paulò ante principibus commendata mãsuetudo, clementiaq; fuit, & adhùc est reliquum, vt eam sæpè commendem; At modum requiro; si enim Dauid piaculo quopiam mulctasset Amnonem, aut saltèm arguisset, tot priuatis, publicisq; incommodis locũ minimè reliquisset; placatus quippè Absalom animaduersione Patris aduersùs reum non geminasset vltionem, non turbæ, non defectiones, non bella Ciuilia secuta fuissent. Sic sceleri successit scelus, & alterius alterum pœna fuit. Sic Dauid, vt ait Arbiter, quod remisit, passus est. Quocircà

circà quodcunq; effugium capere velimus, vereor, vt tueri liceat, quominùs Dauid fuerit aduersùs liberos indulgentiæ nimius: neque enim vel cum Abſalom fecit ſibi currus, & 2. Reg. c. 15.
equites, vel cum idem poſteà geſſit 3. Reg. c. 1.
Adonias, quæ res ad occupandum regnum ſpectabat, corripuit eos aliquandò, proùt apertè patet in textu. Imò nec conniuere tantùm conſueuit ad crimina liberorum, ſed ad cognatione quapiā ſibi coniunctos eadem quoquè pertinuit indiligentia; nam Ionadabo fratris filio per eum 2. Reg. c. 13.
impunè fuit, & Amnoni modum ſororis opprimendæ demonſtraſſe, & Abſalomi propoſitum fratricidij illi antè compertum, quàm accideret, parenti regi non reuelaſſe, quò imminenti malo obuiàm iret; Quæ fuere vtraque capitalia.

Nunc tranſeamus ad quintum caput, cuius rei ſeries 16. & 19. 2. Re- 2. Reg. c. 16. & c. 19.
gum

gum deſcribitur. Fuerat Ionathæ Saulis filio, quem Dauid dilexerat plurimùm, filius Miphiboſethus claudicans, & pedibus ab infantia infirmus. Hunc quæſitum Rex ob charitatem patris inter conuiuias regios adhibuit, & auitis agris ditauit, dato Siba curatore, qui Saulis olim ſeruus fuerat. Ingruente domeſtico bello, cum ingentem Abſalom è coniuratis tribubus armaſſet exercitum aduersùs Patrem, & Hieroſolymam infeſtis agminibus peteret, Rex improuiſo capto fugæ conſilio, immani periculo ſe ſubduxit, omnes boni, ſpectatæq; fidei Regem ſecuti ſunt. Miphiboſethus cum idem facere concupiſceret, nequè per imbecillitatem pedum liceret, Sibæ præcepit, vt ſibi iumentum ſterni curaret. Ille non deſpexit modò, ſed quodcunquè heri conſilium anteuortens cum cibarijs etiàm Regi occurrit, & eundem homo iniquus

quus falsò detulit, tanquàm Hierosolymis substitisset, spe recuperandi in tanta rerum perturbatione aui Saulis imperij. Eo impetu nihil prætereà quæsiuit Dauid, sed iræ impatiens spoliato bonis omnibus Miphibosetho, cuncta delatori seruo adiudicauit. Vicit Rex viginti millibus rebellium cæsis, & ipso Absalomo belli causa. Reuertenti in Regnum Regi Miphibosethus, qui rem compererat, conscientia fretus obuius fuit; percũctantiq́;, cur secum profectus ad castra non fuisset, singula exposuit, seque nauitèr calumnia purgauit, illotusq́; & intonsus à die fugæ regis aspectu fidem defensioni fecit. Dauid nihilominùs se iam de re ipsius familiari statuisse inquiens hoc vnum indulsit, vt cum Siba diuideret fundos.

Duo nobis hoc in iudicio se se offerunt inuestiganda; alterùm, an prudentèr Dauid fecerit, cum Sibæ præ-

cipiti facilitate fidem habuit, & prætulit seruum ingenuo, eique eiusdem domino; alterum, an iustè, cum inauditum spoliauit Miphibosethum, neque re deindè comperta, sanauit erratum, & Sibam pro illata calumnia mulctauit. Quod ad iustitiam pertinet, quæstio est, an iure posset ea facere, quæ fecit; quod ad prudentiã, an deberet. Ac primum omnibus legibus cautum est, ne quis damnetur indicta causa. Et quidèm DEVS ipse iustitiæ fons, & legum pater satis statuit initio rerũ modum iudicij, quippè qui Adamum, Euam, Caimum, causam dicere antè iussit, quam aduersùs eos sententiam ferret. Neque aliud crimen furens Clodius Ciceroni obiecit, quo in exilium pulsus est, quàm quòd Ciues inauditos, quanquàm in coniuratione deprehensos, necari mãdauerat. Eoque magis videtur fuisse Dauidi supersedendum, & sen-

Gen. c. 3 & c. 4.

Plut. & alii.

& sententiæ ictum suspendendum, donec audiret Miphibosethum, quòd hic ingenuus, & dominus, Siba seruus. Cum autem inter ingenuum, & seruum, herum, & famulum res est; & quæstio mendacij, tùm verò satis æqua præsumptio habetur aduersùs seruum. An obscurum fortassè est apud Iurisperitos, & Vlpianum in primis *seruos pro nihilo computari, neque haberi in hominum numero? itaque ne in testamentis quidèm testes sűt.* Vlp.
An antiquo iure Romanorum non cauetur, ne de seruis haberi quæstio in dominos queat? quam ob causam in orationibus pro Rege Deiotaro, & pro Milone magnopere queritur M. Tullius de impudenti aduersùs dominos seruorum licentia. Negabis fortassè Sibam ex eorum fuisse seruorum numero, de quibus leges loquuntur. Iosephus certè Flauius eum vocat Saulis libertum (si interpreti Cic. prò Deio. & prò Mil. Ios. Antonius l. 7. c. 6.

 cre-

credimus) siuè manumissus fuerit patroni clementia, siuè liber factus beneficio Mosaicæ legis, quod septennio continebatur. At sacra Bibliorum historia eum appellat vbique seruum, & ipse oppidò Miphibosethus. Quãobrèm qualiscunque seruitus illa foret, seruus erat, & conditione minor. Addes fractus Dauid magnitudine calamitatis haud sui compos adeò fuit, vt semet colligeret, atque maturè deliberaret, quid fas esset. At vir fortis, qualem mihi Dauidem prædicant sacræ Paginæ, ne summis quidèm in periculis sui ipsius amittit imperium. Neque verò ipse Dauid rebus illud amisit in reliquis; nam & idonea de bello consilia cepit, & Semeij ferendas iniurias sapientèr disseruit, & Abisæum vltioni inhiantem repressit. Quòd si nequè iustè, nequè prudentèr se fecisse comperit, vbi defunctus iam periculo audiuit Miphibose-

2. Reg. 6. 16.

bosethum, quarè eundem in integrũ non restituit, indemnemq; esse imperauit? quarè Sibam ob tantam calumniam (cui flagitio sunt leges infensissimæ) supplicijs meritis non affecit? quò ritè appellare DEVM posset. *Iudica me Domine, secundùm iustitiam meam.* Si vnicuique suum tribuere iustitia est? An verò cum Politicis sentiendum est nobis, qui nunquàm Principi contendunt esse committendum, vt si quid gesserit minùs idoneum, illud retractet, corrigatuè, ne pecasse videatur, & dignitati suæ vulnus infligat? Ego autem huiusmodi præcepto nunquàm bono Principi obtemperandum putauerim, in quo non nostri tantum Theologi, sed ne Cicero quidèm, aut Aristoteles, aut alij huius notæ conueniant Philosophi, qui de officijs, & virtutibus scripserunt, quodquè DEVM sine controuersia accersit *Psal. 7.*

vltorem. Nobis enìm luce clariùs sub oculos cadit nihil perindè in discrimina, & calamitates regna conijcere, quàm errata sustinere, si qua regibus exciderunt; & hoc est, quod
Ps.41. idem Dauid pronuntiat. *Abyssus abyssum inuocat*: hoc est quod apud Philosophos solemne habetur. Dato vno incóueniente, multa sequuntur, quasi verò errare infamia sit; nequè adeò res humana, vt cum homine nascatur. Theodosius quidèm tantus Imperator, cum cædem Tessalonicæ fecisset satis iniquã, qua & in DEVM, & in Rempublicam peccauerat, & fateri suum crimen, & impositám à D. Ambrosio pœnitentiam palàm accipere, atque perficere nõ erubuit. Itaque certiores difficultatis huiusce solutiones afferendæ sunt mihi; ne rubigo vetus in animo perseueret.

3. Reg. c.2. Iam peruenimus ad nostræ dubitationis vltimum calculum. Res est

2. cap. 3. Reg. Dauid in ſuprema cõſtitutus vitæ periodo Salomonem filium iam ab ſe Regem declaratum, vnctumq; à Pontificibus ſolemni ritu acciri præcepit. Multa docuit ad religionem, ad regnum ſpectantia, multiſq; imbuit adoleſcentem ſalutaribus inſtitutis. Sed nonnulla intermiſcere non dubitauit, quorum cauſa videatur ſermo ille propiùs accedere ad poſtremam Tiberij ad Senatum Epiſtolam de Seiano. Nam & habendá, referendamq; aliquibus pro fide, & officio gratiam monuit, & Ioabum vniuerſæ militiæ tandiù præpoſitum, laborumq; & victoriarum perpetuò aut ſocium, aut miniſtrum interficiendum oſtendit; Nequè Semeio parcendũ cenſuit maieſtatis reo, qui fugienti regi ab inuaſione, & pernicie rebellis filij tùm contumelijs, tùm lapidibus infeſtus nefariè fuerat; tametſi ei Dauid veniam dederat, ne-

D. A. l. 58.

què propterea gladio iurauerat periturum.

O' miram códitionis humanæ imbecillitatem. Vir ſapientiſſimus, mitiſſimus, religioſiſſimus,& ſecundum cor DEI, quo tempore è vita excedentibus omnia compoſita, pacata, liberalia ſubire animum & nauitèr debent, & profectò ſolent, ipſe iniuriarum memor, indignationis tenax, iræ nimius ſpectat vltionem,ipſe imperat, iam iam ante diuinum tribunal cauſam dicturus. Quis mihi nodum explicet tam difficilem? quis me ex hac ſalebra ſecurum educat? Hic ſanè potiſſimum locus tuam, Sophroni, ſapientiam, & aciem ingenij poſtulat. Non patiatur DEVS Optimus eo mihi fatalis periculi articulo quidpiam tale in animum cadere. Inter vlnas veniæ, inter brachia pacis emoriar, & vltimum ſpiritum CHRISTO reddã CHRI-

STVM imitatus, qui pro ſuis etiam Crucifixoribus exorauit. Tùm me nactum meorum remiſſionem ſcelerum cogitabo, cum alijs pepercero. Viuant inimici mei, ſint felices, ſint beati, quicquid commiſerunt in meũ caput, fortunas, dignitatem, famamquè, nihil ijs in oculis ſummi Iudicis detrimenti afferat, obliuione inſuperabili deleatur. Sed excipiės. Cauſa Regum alia eſt: exemplum ſubditis relinquendum, ne audeant tentare fortunam principum, ne ludibrio habeant, ne contemnant: *eſſe vltorem, quiſquis ſuccedit.* Acutè diſſeris: at hoc erat Salomoni ex officio ſtatuendũ, non Dauidis ore, ſententiaq́; declarandum. Ioabus quidèm Abnerum, & Amaſam geminos exercitus principes dolo confoderat: ſed ab ipſo Rege fortaſsè occaſio, qui vt nouos, & nupèr hoſtes ſufficeret, Præfecturam Ioabo auferebat duci veteri, & fido.

Tacit. Hiſt. l. 1

fido. Neque enim censent viri grauissimi magnis capitibus, & auctoritate, potentiaq; præcellentibus adimendos esse magistratus, in re præsertim militari, nisi simul & vitam; propter pericula, cum imperijs assueti contumeliam tolerent intemperantèr. Ità cum Seiano actum sub Tiberio. Ità cũ Vallestaimo sub Ferdinando II. nostris temporibus. Addo. Abnerum apud DEVM condemnabat Isbosetho negata fides, Amasam Dauidi. Nam de Abnero quid hoc fuit? postquàm Saulis domum regendam suscepit eiusdem filiũ per tribus ostentauit, Regem constituit, ex leuissima deindè mulieris causa perfidiam induere? ab eo deficere? ad Dauidem ipsius hostem populum, exercitus, regnum traducere? Amasam autèm aduersùs Regem matris suæ fratrem Absalomi copias ductàre? acie confligere? illius latus mu-

crone

crone petere, à quo ipſius opes, & fortuna pendebant? Rei erant: quanuìs è prauis eorum operibus diuina ſapientia (quod illi ſolemne eſt) bonos exitus deriuauerit, tamèn ſupplicij expertes non eſſe permiſit, & dolum dolo rependi voluit. Quòd ſi plurium iam annorum ſpatio flagitia eiuſmodi Dauid ſilentio tranſegerat nimiam Ioabi potentiã veritus apùd exercitum, cur eâ tempeſtate, qua clementiam potiùs, memoriamq; meritorum æquum erat dominari, cum is toto vitæ ſuæ curriculo labores, & pericula pro Rege obierit, quorum numerus ſubduci nequit, quàm malefactorum recordationem vigere, & ſanguinis ſitim, cur, inquam ſanguinem iubet? Inſidioſa, nedùm ſpecioſa profectò eſt illa clementia, quæ nõ remittit pœnam, ſed differt; nequè gratus eſt, qui ad tempus tantùm memoriam tuetur beneficiorum. De

Sc-

Semeio eadem ratio, imò ex eo potior, quòd Ioabo Dauid homicidia illa nuſquàm legitur condonaſſe: Semeio autem & condonauit iniuriam, & iureiurando confirmauit ſe hominem non occiſurum. Dices, non occidit. Bene habet: at ergò Iuſiurandum captioſum mihi, virum ſimulatorem, & vafrum, atquè prorsùs de ſchola Tyberij, aut Ithaci das? etenìm qui per alium facit, nonnè per ſe ipſum facere videtur? Regula hæc Iuris notiſſima eſt; nequè leges minore pœna iubentem puniunt, quàm perpetrantem ſcelus: Satis enim Salomoni Dauid diſertè imperauit, vt deduceret canos eius cum ſanguine ad inferos. Prætereà quàm hic Dauid contraria diſſerit ijs, quæ dixerat Abiſæo, præcepiſſe nimirùm Semeio Dominum, vt ſibi malediceret? nam ſi præcepit Dominus, cur ille puniendus? Haud mihi tamen in-

mentem venit aut negare, quin tuta isthæc conſcientia facere potuerit, aut res geſtas tanti viri (homo quippè rudis, & cœcutiens) dijudicare; ſed cum perfectam illam, & abſolutam virtutem requiro, eò me naturæ genius impellit, vt nihil ad eius gloriam pertinere perindè exiſtimem, ac ſi manſuetudo, clementiaq; fuiſſet illi ſigillum vitæ, vltionis ſeueritas abſuiſſet, Teſtamentum ſanguinum nè in cogitationem quidèm irrepſiſſet, carnificinæ dedecus exulaſſet; imò ſi reos etiam illos nouo Regi commendaſſet, ne quid propterea detrimenti caperent; Semeium præſertim, ne peculiares ſuas, & priuatas iniurias vſque ad nouiſſimum vitæ ſpiritum perſequi videretur. Magnamini hominis eſt, inquit, Seneca, iniurias deſpicere. Subdo ego : in calce autem vitæ etiam pij : & nihil æquè, ſeu regium, ſeu diuinum eſt, vt parcere.

Quamobrèm citrà etiàm diuinas leges eum felicem mori puto, qui condonatis offensis moritur. Felix eo nomine Cæsar Titus, qui iurauit periturum se potiùs, quàm puniturum; Neque minor ex sex. Aurelio Victore Vespasianus pater, cui inter cætera bona illud singulare fuit inimicitias obliuisci. Porrò cùm hìc tantoperè clementiam commendo, qui paulò antè seueritatem laudabam, mihi parùm constare videbor fortaßè cuipiã, nisì memor ille fuerit hoc in primìs Principis esse prudentia vti, & quid cuiquè loco, tempori, personæ idoneum sit, dijudicare. non enim vnicuiquè pharmaco quæuis herba, nequè vnicuiquè obsonio eadem aromata, idemque condimentum aptum est. Quam si partem seriò persecutus fuisset Albæ Dux, haud profectò in eam desperationem prouincias Belgicas sæuitia, & sanguine coniecisset, ex

qua

qua dimicandi, turbandiq́; ſtudiũ apud eos populos in naturã tranſiuit. Deniquè id ſummũ eſt moderationẽ adhibere; nequè aurei illius Apophtegmatis obliuiſci. *Ne quid nimis*. Si modò quicquam ſummum eſſe poteſt in natura mortalium.

Hæc, Sophroni, ſunt, quæ me ancipitem agunt in vita Dauidis, & cũ ille non peccauerit, ſollicitũ habent, quo clypeo tegi, qua ratione nõ peccaſſe defendi queat. Qua in re planè nõ dubito, quin tuæ lumen induſtriæ multiplici cum doctrina coniunctæ viã aperiat, qua ex his Euripis euadã, & mihi ipſi nauitèr ſatisfaciam. Cæterùm neq́; feliciorem, neq́; glorioſiorẽ Dauide quempiam poſt hominũ memoriam fuiſſe iudico. Ille ab ouium ductu, & paſtoralibus curis elatus ad regnum, plures, eaſque memorabiles victorias obtinuit, quàm alius quiſpiã bella ſuſcepit, ne dicam legit. Ille ex

rudi

rudi homine,& imperito ſapientia ingẽs,& Prophetarũ facilè princeps.Ille ſanctitate illuſtris,pietate,& religione clarus in paucis.Ille sũmi DEI filij pater ſecũdùm carnẽ,cuius prærogatiuæ dignitatẽ quis poteſt aſſequi cogitando? Ille Poëta eximius,& Pſalmorum artifex ſummus,quorum vſus longè, lateq; propagatus per Orbem terrarum ab Eccleſiæ ſacroſanctæ ſupplicationibus, niſi cum ipſo tempore, atquè adeò mortalium genere non recedet. Itaque nequè DEI laudes ſunt ſine Dauide; nequè pœnitentiã quiſquam agere ſe putat, niſi Dauidem ducem, atquè interpretem habeat. Qui propterea pœnitentium omnium, & laudantium DEVM perpetuò ſocius, atquè particeps meritorum vſque ad nouiſſimã Mundi horam ea gloria ſemper augebitur, quam in ſcholis appellant accidentalem. Vtinàm verò me quoquè exi-

tiali-

tialibus culpis implicitum manu deducat, nequè intimi sui doloris, quo DEVM Opt. Max. placauit vltorem, expertem esse permittat.

SOPHRONII AD PHILONEM Responsio.

EQuidèm ità mecum animo statui sempèr nauum esse Philonis ingenium, & suprà, quàm credi possit, valdè præclarum. Totum legi, Philo disertissime, de Dauide Rege Commentarium tuũ, qua voluptate soleo, quæcunq; tuo è calamo proficiscuntur. Admiratus sum excogitasse te argumentum sublime, multiplex, nequè sanè facile; varia eruditione coluisse; eloquentiæ luminibus ornasse. Nequè dubito, quin tibi leuissimũ foret eos nodos exsoluere, qui negotium tibi facessere videntur, nisi hoc me afficere ho-

nore voluisses. Quæ tua mens cum plurimis iam tuorum in me officiorum testimonijs planè explorata sit, tantùm abest, vt ei obnitar, vt etiam amem, ac morem gerere paratus ad scribendum accedam; non quòd ego tanti sim, quāti me tuus magis amor facit, quàm iudicium; sed quantùm in me est, ne quid negem tanto viro. Expediendum verò mihi nauitèr video acumen ingenij, si quod est; nā de re agitur, quæ fatigauit, & adhùc fatigat præclara ingenia, nequè mihi pepercit interdùm. Quocircà si quid in hoc genere Quæstionis labore, atquè industria consequi potero, haud minùs erit mea causa, quàm tua.

Porrò vt solutionem tuarum dubitationum idoneam aliquam afferre valeam, nonnulla præmittenda, & quasi fundamenta quædam iacienda existimo, è quibus tota ædificationis nostræ moles exurgat. Primum est

corru-

çorruptionem, & vitioſitatem illam, ex qua omnis ſcatet peccati labes, adeò eſſe innatam nobis, vt abſquè peculiari, & præſenti auxilio Numinis, fieri nequeat, vt homo omnia poſſit peççata vitare. Quamobrèm non ille optimus, qui non peccat, çum nemo ſit, ſed qui minùs peccat, çum naturæ infirmitas ad perfectionem nequaquã pertingat. Quod ne Ethnicus quidèm Poëta præterijt.

Nam vitijs ſinè nemo naſcitur; optimus ille eſt, Hor.ſer. l.1. ſat. 3.
Qui minimis vrgetur.

De natura loquor in Adamo cõtaminata, *in quo omnes peccauerunt;* Ad Ro. c.5. cum ſcriptum ſit, ſeptiès in die cadit iuſtus, ſi minùs mortalitèr, at ſaltèm venialitèr, vt aiunt in ſcholis; itaùt vel ipſi matris in vtero conſeçrati, vti Hieremias, & Baptiſta, ve-

nialitèr tamèn peccare potuerint, excepta Deipara, quam ab omni vel minima ſorde ſecludere religio eſt. Itaque ad pariendum ſcandalũ neutiquàm pertinet Dauidem, qui peccauit, virum ſecundùm cor DEI dictum fuiſſe; aut enim minùs, quam cæteri, peccauit, qui ea tempeſtate electo in populo vitam egerunt, aut
1. Reg. c. 13. ſecundùm cor DEI interpretari poſſumus ad ea gerenda magis idoneũ, quæ DEVS fieri eo tempore conſtituerat, necnon ad parendũ promptiorem, quàm Saul fuerat, qui diuina mãdata pluriès neglexerat. Quæ quidèm expoſitio in Actis Apoſtolorum habetur apertè, cum Paulus in-
Act. Apoſt. c. 13. quit ex perſona Numinis. *Inueni Dauid filium Ieſſe virum ſecundùm cor meũ, qui faciet omnes voluntates meas.*

Alterum ex ijs eſt, quæ præmitti debent inter tempora antè CHRISTVM, & poſt CHRISTVM magnum

gnum esse discrimen. Antè CHRISTVM duo religionis status se se offerunt cogitandi, sub præscripto naturæ prior; sub Moysis lege posterior. Sub præscripto naturæ nullum opus facilius, quàm satis conscientiæ facere, nihil enim erat reliquum, vbi verum Numen adoraueris, quacunquè ratione id fieret; cumque superstitionibus Dæmonum totus vbique flagraret Orbis terrarum, quisquis non corrumperet religionem, ille optimus habebatur. Sub lege Moysis angustiùs decursum. Sed inter hanc quoquè, & Euangelicam non vna est discriminis ratio. Primum quidèm, quoniàm illa imperfecta quædam huius erat Idea, & typus; nam *omnia in figura contingebant illis*, nequè 1. Cor.
peccata delebat, sed dumtaxàt ostendebat. Quapropter vbi non assequimur quandoquè literam, nobis ad mysterium est confugiendum, & ex c. 10.

arcano tropologiæ penu veritas eruenda. Quæ celebris apud Patres sententia est. Ego tamèn, quià literam quæris, à litera non discedam. Deindè verò, quia lex Moysis, quà durior, quà mitior fuit, quàm CHRISTI est; durior quidèm, quià timoris, quià seruilis, & adeò corporùm afflictiua, vt omnia ferè crimina morte punirentur, & ipse DEVS æmulator, exercituum, atquè vltionum DEVS appellaretur. Grauiora prætereà onera imponebat, & cæremonias imperabat, quorum *iugum nequè patres nostri, nequè nos portare potuimus*, ait Petrus disertis verbis in Actis Apostolorum. Etenim cum populus esset ille carnalis duræ ceruicis, eum in officio continere terroribus, & præceptis perindè carnalibus necesse fuit. At de Euangelica CHRISTVS ait. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*. Et cùm filiorum sit, non ser-

Act. Apost. c. 15.

uorum

tuorum, libertatis est, *qua libertate* *ad Gal. c. 4.*
CHRISTVS nos liberauit. Quocircà
cum *Verbum caro factum est*, illud *Io. c. 1.*
videtur experientia fuisse consecutú,
vt *ex ijs, quæ* in humanis *paßum est*, *ad Heb. c. 4.*
compati mortalium imbecillitati, & ærumnis didicerit, ac legem amoris, & clementiæ plenam dederit, quò perquàm facilè, abdicata vetere seueritate, *omnia traheret ad se ipsum*. Mitior autem, quàm nostra, rebus in quibusdam lex antiqua profectò fuit: *Io. c. 12.*
Moyses enim ad duritiam cordis illius gentis non pauca permisit, quæ *Matt. c. 19.*
CHRISTVS Dominus abrogauit, & ad perfectum res adduxit, quippè cuius lex non carnem, sed spiritum respicit, nequè pollicetur terrena regna (quæ antiquitùs, vel ipsi sanctissimi homines appetiuere, aut saltem opes; ait enim Iacob. *Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum, & vestimentum, quò operiar, ipse*

erit mihi in DEVM) ſed Cœleſte nullo tempore deſiturum. Itaque ipſas quoquè cogitationes malorum prohibet; & hominem homini ſuamet delicta confiteri, & arcana cordis ad humilitatem, charitatemq́; inuicèm inſinuandam aperire iubet; quod ſanè onus non mediocre, neque molle præceptum videtur. Porrò ex mitioribus priſcæ legis, quæ ad rē noſtram in primis faciunt, duo ſunt, inimicorum odium, & in re Venerea, vt ita dicam, licentia quædam. Quod ad primum attinet, non ego quidèm affirmauerim odium inimicorū apud veteres fuiſſe permiſſum, nequè vltionem licuiſſe, niſi aduersùs hoſtes, qui aliena lege, & cultu vtebantur; ſed ætatem illam ab Euangelica perfectione haud mediocriter diſtare inficias non iuerim. Nam ſi nulla intercederet ratio diſcriminis, nihil erat cauſæ, quamobrèm non D. modò

Am-

Ambrosius tantoperè admiraretur S. Ioseph, *qui antè Euangelium læsus pepercit, appetitus ignouit, venditus iniuriam non retulit, sed gratiam soluit prò contumelia*; quod lege nondùm lata exemplum fuit; sed D. etiam Thomas 2. 2. q. 108. art. 1. ad tempora legis respiciens ità pronuntiaret. *Ergò ad minùs in nouo Testamento nulla vindicta fieri debet*. Quod si nulla ad minùs in nouo, igitur non adeò in vetere stricto iure tenebantur, quò perfecta laus Euangelicæ virtuti reseruaretur. Salomon sanè Adoniam germanum fratrem interemit citrà flagitium. Elias quinquagenarios geminos combussit igne de Cœlo deducto. Eliseus pueros quadraginta duos sibi illudentes vrsis tradidit laniandos. Nunc autem *qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis*. Ecce, quam angustiùs in huiusmodi iustitiæ curriculo sub CHRISTO

de Sancto Ioseph. c. 1

2. 2. q. 108. ar. 1.

3. Reg. c. 2.

4. Reg. c. 1.

4. Reg. c. 2.

Matt. c. 5.

agitur,

agitur, quã sub Moyse: CHRISTVS enim Dominus absolutam, perfectáque virtutem, & mansuetudinem de Cœlo delatam, docere voluit, atque præcipere: perfecta autem, absolutaquè virtus eo potissimum capite cõtinetur, vti non modò non oderimus inimicos, sed diligamus etiam, & beneficijs afficere non dubitemus. Itaque sic ait. *Audistis, quià dictum est antiquis, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autèm dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.*

Matt. c. 5.

Alterum, quod in lege Vetere mitius fuit, vsus mulierum est. Quæ res quomodò se habuerit, multò altiùs repetenda principia sunt, & origo naturæ videnda. Nobis innatam esse vitæ, æternitatisq; cupiditatem, quæ nos excitet ad libidinem procreandi, neminem latet. Hæc autèm, quia pari incedit passu natura

cum sensu, nihil prætèr sexum requirit, quemadmodùm vsu venit in brutis. itaquè ne à matre quidèm, aut filia, nedùm à sorore, abstinendum putat. quod ex D. Hieronymo, Minutio, Tertulliano, Plutarcho, & alijs apud exteras nationes, Persas, Medos, Indos, Æthiopes solemne fuit. Igitur si naturam in sua simplici nuditate consideres, nullus vetitus inter homines affinitatis est gradus iure naturæ: & hoc est, quod Iuris periti vt plurimùm statuunt, Ius naturale illud esse, quod est commune cum brutis. Cæterùm si naturam cum moribus cogites, homines à brutis segregari necesse est, & horrere animum, si de matris, aut filiæ incestis nuptijs agatur, cum eas natura munita moribus detestetur. De sororibus non adeò religiosum videtur ius: Heua enim, aliæque fœminæ primi æui, cum geminos parerent marem, & fœminã, quo-

quominùs virum, vxoremq́; parerẽt, non dubitarunt. Scio mihi Augustinum lib. 15. de Ciu. DEI c. 16. de sororibus refragari; item Tertullianum, Arnobium, Theodoretum, Abulensem, Paludanum, Ioannem Maiorẽ, Sotum, Couaruuiam, qui omnes in eam coiere sententiam, vt fraterna quoquè coniugia prohiberentur lege naturæ; sed cũ prioribus illis à DEO fuisse dispensatum propagandi generis humani compellente necessitate, cum alienæ fœminæ non extarent. Ego verò DD. Thomæ, atquè Bonauenturæ, Victoriæ, Caietano, Scoto, Durando, Halensi, qui contrà sentiunt, magis adhæreo: luctetur Catharinus aduersùs Caietanum, quantum velit: nam si minùs fas fuisset iure naturæ nubere fratribus, quæ ratio foret, cur apud Ægyptios sapientum vetustissimos post Chaldæos id etiam lege cautũ fuerit, cum regimen Orbis

l. 15. de Ciuit. DEI c. 16.

Catharinus de erroribus Caietani.

bis

bis terrarum transiuit in leges? Berenice profectò illa, in cuius comam post Callimachum lusit Catullus Elegiam valdè præclaram, Ptolemæi Euergetis Ægyptij Regis & soror, & coniux fuit. Neque fabulæ ab hisce connubijs abhorruerunt, talesq; nobis Iouem, atquè Iunonem exhibuerunt. Quibus exemplis, legibusquè suam Tragœdiã Canacis Auctor egregiè tuetur. Porrò cum ad vinculum humanæ societatis magnoperè pertineret, vt coniugiorum necessitudines latissimè spargerentur, propterea nuptialibus sororum thalamis Græcæ, Romanæq; leges obuiàm ierunt, cum præsertim impudens, indecorumquè videretur adeò propinquo sanguini commisceri. Frœnum etiam impositum est nimiæ mortalium licentiæ in ijs gradibus, qui ad sorores proximè accedunt, nefariæq; omnes eiusmodi nuptiæ, incestæq; declaratæ.

Quò

Quò spectant tituli de incestis, & inutil. nuptijs in Cod. Theodosiano, nec non alij. At apud Hebræos Legislator Moyses Venerei, obscœniq; populi vęcordiam intimè callens audaciam pudore coërcuit, & in hæc verba 18. Leuit. capite de mulieribus proximis non attrectandis Leges tulit. *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet. Turpitudinem sororis tuæ ex patre, siuè ex matre, quæ domi, vel foris genita est, non reuelabis.* Quibus interdictis totum illud caput refertum est. Quæ quidèm quamquàm interpretes eò pertinere velint, vt matrimoniorum iura coarctent, tamèn, si vim verborum maturè perpendimus, hùc spectant potissimum, vt peccata eiusmodi cum affinibus, & consanguineis inhibeant, non matrimonia vt tollant, nequè adeò se angustè habeat ius illud, licèt diuinũ, quominùs in eo dispensari graui, &

Leuit. c. 18.

iusto

iusto ex titulo aliquandò valeat. Nequè enim si secùs foret, vel exempla non adfuissent, Thamar ipsa Dauidis filia ab insaniæ nota fuisset immunis, quæ vt Amnonem fratrem à nefario scelere deterreret, illum hortata est, vti se postularet vxorem à patre impetrandi securum. Cæterùm cum prisci illi nihil propiùs intuerentur, quã prolis gignendæ facultatem, vti affinitatum in connubijs haud magnam rationem habuerunt, sic se Venereis actibus vel nihil pollui existimarunt, vel oppidò parùm; nequè graui probro erat, si pudicitia corrumperetur. Abraham in Ægypto Saram suã esse vxorem dissimulauit, quasi obijceret Pharaoni: Lot filias virgines obtulit nefandis hominibus illius miseræ Ciuitatis, cuius nomen silentio premere religio est. Filia quoquè nobilissimi Principis Madianitarum ad labefactãdos per libidinem Israëlitarum animos

2. Reg. c. 13.

Gen. c. 12.

Gen. c. 19.

Num. c. 15.

mos missa à patre perrexit in castra, & à Phinee vnà cum mœcho gladio occubuit transuerberata. At Romæ Cato minor Martiam suam flagitanti Hortensio permisit; & postquàm satìs naturæ fecit Hortensius, non ægrè recepit vxorem. Nequè profectò crimen vllum generis eiusce aut contrà honestatem multùm facere putabant, aut plectendũ censèbant, præter adulterium, vt potè ad Rempublicã pertinens, cuius rei causas Iureconsulti latissimè persequuntur. Augustus legem Iuliam de adulterijs seueram tulit: *Moyses mandauit huiusmodi lapidare*. & ità cautum apùd omnes, ne mala haud mediocria in Rempublicam reperent. Stuprum autèm nequè magni faciebant, & priuata ferè offensa videbatur, quæ ad proximos pertineret. Quod Absalom & animaduertit, & haudquaquàm neglexit: tametsì eum acriùs commotum credi-

Plut. in Catone.

Io. c. 10

crediderim eiectione, & contumelia sororis publica, quæ ipsam quoquè valdè afflixit, quàm vitio illato. Quin verò nonnè vsquè ad tempora nostrorum patrum, imò & nostra Christiano quoquè in populo clandestina matrimonia ab sacro Tridentino Cõcilio sublata, perseuerarunt? Quæ res plurimùm facit ad ostendendũ, quàm leuia forent apùd veteres, quæ in fœminis peccata contingerent. Cur autèm viros, qui adulteros cum suis vxoribus deprehensos interimunt, leges non puniant, pulcherrimam affert Xenophon causam; non quòd adulteri pudicitiæ iniuriam faciant, sed quòd amorem vxoris ergà virum violent, & coniugalem charitatem de medio tollant; quamobrèm iure occisi fuisse videantur. At cæteros omittamus, & in solis Israëlitis gradum sistamus, quorum cum incredibilis Abrahamo à DEO promissa

fœcunditas fuerit, nequè apud eos virginitas colebatur, nequè steriles sinè dedecore, & probro habebantur. Etenìm cum promissum Regem expectarent, nequè aliud, quàm terrena saperent, operam creandæ proli nauitèr dabant, vt eo duce nationes cæteras vel numero obruerent, vel magnitudine virium delerent: nequaquàm animaduertentes, cum eos crescere, ac multiplicari DEVS imperauit, eò illud spectasse præceptum, quò plures essent, qui eum colerent, & vera religione vterentur. Et profectò arbitror fuisse mortalium neminem, qui vberiorem posteritatem nactus fuerit, quàm Abrahamus, quæ maximam adhùc partem occupat Orbis terrarum, ita vt successus oraculo planè respondeat. *Multiplicabo semen tuum sicùt stellas Cæli, & velùt arenã, quæ est in littore maris*. Contendit etiã Philo Iudæus, magnus Vir, circuncisio-

ad Philippẽs c. 3.

Gen. c. 22.

Phil. de Circuncisione.

ſionem fœcunditati valdè prodeſſe, amoto ſeminis impedimento; Nequè crediderim gentem aliam æquè ſalacem eſſe,& in Venerem proná,atquè ipſi circumciſi: negant enim adhùc plèriquè eorum, cum de cœlibatu agitur ſacerdotum noſtrorum, ſinè muliere virum poſſe conſiſtere. Proptereà,& permiſſa illis repudia,vt inductis nouis nuptijs, ſatietati mederentur, aut aliud malum auerterent; & cum pluribus eodem tempore matrimonia indulta; ſatiſq; fuit cum vir accederet ad mulierem, ſi animo cõiugali, & generandæ prolis accederet. CHRISTI porrò tempeſtate quibus carceribus res eiuſmodi contineatur, nihil attinet recenſere, cum illud ad incrementum meritorum, & gloriæ pertineat. D. quidem Hieronymus Eccleſiaſticæ tùm ſanctitatis, tùm literaturæ maximum ſydus, octogenario maior,& puellarum choros me-

minit, & non ſinè metu, ac tædio exclamat. *Adhùc igniculus viuit*. cum
3. Reg. c. 1. Dauid Rex Abiſagem formoſiſſimam Virginem ſinu citrà noxam concludit, ac tepenti fouetur amplexu decennio minor.

Ad hunc etiam laxitatis locũ pertinet Ius regis, non illud quidèm ex vi legis, cuius traditæ tempeſtate Hebræorum Reipublicæ forma regia nõ erat, ſed conſuetùdinis, quæ tempore inualuit, ac tranſiuit in legem. Etenim regibus multa permiſſa, quæ impenſiùs æſtimantibus ad Tyrannidẽ proximè ſpectare videantur. Cum tu
1. Reg. c. 8. ſæpe legeris primi Reg. cap. 8. probè noſti me haud quaquàm mentiri. Samuel quippè petenti Regem populo Ius regium prædixit iubente Numine, & inter cætera hæc ait. *Agros quoquè veſtros, & vineas, & olíueta optima tollet, & dabit ſeruis ſuis, ſed & ſegètes veſtras, & vinearum redditus*

addecimabit, vt det Eunuchis, & famulis suis. Seruos quoque vestros, & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit; vosque eritis ei serui. En qualem, quantamq; auctoritatem, impotentemq; dominatũ tribuerit Regibus Ius illud, tanquàm si audiamus Agamemnonẽ apud Homerum dicentem.

Ipse quidèm eripiam, si tradere fortè grauentur. *Illiad. 1.*

Quæ res post CHRISTVM passũ ad libellam æquitatis contracta est; neque enim à nostris Principibus in huiusmodi seruitutem redigimur; sed vnusquisque liber, & suarum rerum dominus sinè controuersia perpetuò est. Itaquè quoàd subditos iugum graue apud illos fuit; quoàd Reges multa licentia: Quapropter multa itèm videntur eisdem condonanda, nequè facilè vitio vertenda.

Tertiũ. Tertium, quod nobis vſu venit reſponſioni præferre, illud eſt, quod ad noſtram dignitatem, ac ſpem magnoperè pertinet; nimirùm vti poſt abſolutũ redemptionis humanæ myſterium, *velum templi ſciſſum eſt*, atque arcana diuinæ ſapientiæ multò clariore in luce patuerunt, ita gratiæ quoquè vberiorem copiam ad nos manaſſe, & *cataractas Cæli ad noſtram ſalutem apertas fuiſſe, necnon ruptos omnes fontes abyſſi magnæ*; quamobrèm de *CHRISTI virtute, ac plenitudine omnes accepimus* multò quidèm affluētiùs quàm antea contigerat Teſtamēti veteris patribus, quibus quantacunq; permiſſa eſt gratia, ex meritis tamen CHRISTI præuiſis permiſſa eſt. Quod ſi nonnulli eorũ meliores fortaſsè fuere, quàm pleriquè noſtrorum ſunt, reſpondeat obiectationi, quæ eſt in foribus, D. Ambroſius. *Diſcamus ergò illos non naturæ* (mihi addere liceat,

Matt. 6.27.

Gen. c. 7

Io: c. 1.

D. Ambroſ. de Sancto Ioſeph.

ceat, nec gratiæ) *fuiſſe præſtantioris, ſed obſeruationis, neque neſciſſe vitia, ſed emendaſſe*. Quid enim tot Martyrum Exercitus Cœlo peperit? quid virgũculas, & pueros aduersùs efferatam Tyrannorum rabiem armauit inermes? quid in cruciatus, immaniaq́; ignis, & ferri ſupplicia conſtantes iniecit? niſi dilatatus hic ſuper eos gratiæ ſuperioris Oceanus, & reſerata clauſtra diuinæ miſerationis, ſicùt laxatis Calpe finibus noſtra ferè tempeſtate nauigatio impenetrabilis pelagi patuit ad Indos? Poſt Martyres, vt nullo temporum gradu ſubſidia Eccleſiæ deforent, quid tot Anachoretas, Paulos, Antonios, Hilariones, alioſque innumerabiles in ſumma vitæ aſperitate ſeptuaginta, aut etiam centũ annorum ſpatio continuit, niſi vbertas ſupernarum opum, & amplitudo Cœleſtis auxilij? In tolerandis verò, donandiſq́; iniurijs ſanè apùd veteres

vel nulla exempla sunt, vel admodū rara, quæ cum nostrorum pluribus comparentur. Quippè qui probè meminerunt, non *oculum prò oculo, dentem prò dente* sibi petendum esse: at *si quis percusserit te in maxillam, præbe illi alteram*: hoc perfectionem hominis Euangelici contineri.

Exod. c.21. Matt. c.25.

Quartū Quartum, & vltimum quod præponere operæ pretium existimaui, Philo, est, quemadmodùm obdurare DEVM corda in sacris paginis asseritur, & reuerà obdurari permittit, habemus quippè in Exodo. *Indurauit Dominus cor Pharaonis*. sic animorùm aciem obtundere, mentes imbuere tenebris, oculos hebetare, aures occludere, proùt inquit Isaias. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum.* DEVS enim ex occultis nobis cau-

Exod. c.10. Is. c.6.

ſis, atquè indicijs ſuis nos nobis vſque adeò interdùm eripit, memoriam auſert, metum incutit, vt ne animaduertamus illa quidèm, quæ ſub ſenſum cadunt. Hac ratione duorum illorum diſcipulorum, qui poſt reſurrectionem cum CHRISTO ambularunt, *oculi tenebantur, ne eum agnoſcerent*. Hac eadem ratione irruit formido, & ſtupor in Caſtra Philiſtinorum, cum Ionathas vnico ſociatus armigero magnam eorũ edidit ſtragem. Etenim in Exodo DEVS inquit. *Terrorem meum mittam in præcurſum tuum*. A' DEO quippè ſunt terrores illi, quos Græci Panicos appellabant, tanquàm à Pane mitterentur, de quibus latè poſt Plutarchum, & Syneſium, Leonicenus, Politianus, & alij plerique; tametsì quidam è recentioribus non contemnendus eorum cauſam ad naturam referre contendat, quaſi acriores quidam ſpiritus

Luc. c.24.

1. Reg. c.14.

Exod. c.23.

Plut. Synod. Nicen. Leon. de var. hiſt. c.29. Polit. Miſc. cent.1. c.28.

ab

ab acie, quæ superior futura est, in aduersam dimanent. Sed vbiquè in sacris literis hos terrores dicit Dominus suos. Imo verò etiam Ethnicorũ sententia hæc vt plurimùm fuit. Vt apud Maronem Turnus.

Æn. l.12. *Non me tua feruida terrent.*
Dicta, ferox; Dij me terrent, & Iuppiter hostis.

Mirum itaquè videri non debet, si aliena mente quisquam rei alicui minimè intendit, quamquàm illi addictus sit. Quod si quis ad simplicitatem, ineptiamq; antiquorum quandam trahat aut Loti cum filiabus cõgressum, aut Iudæ cum nuru Thamar, quæ omnes ignotæ illis acciderunt, aut Saulis stuporem, cum Dauid orã illi chlamydis amputauit; id vero ipse constantèr negare fas esse existimauerim, cum ijdem omnes prudentia alioquì pollerent valdè præstanti; sed omnia DEO auctore contigisse affir-

Gen. c.19. Gen. c.38. 1.Reg. c.24.

affirmare non dubitauerim.

His ita præiactis, constitutisq; fundamentis; è quibus instar eorũ quatuor fluminum, quæ in origine rerum manarunt è Paradiso, *& superficiem rigarunt vniuersæ terræ*, cunctà deducere licebit, quæ nobis idonea sunt, singulas dubitationes deincèps refellere non erit difficilè. Igitur si eorum temporum, eiusque legis iustitiam metimur, & gratiam, Dauidẽ optimum, sanctissimumq; fuisse fatendum est, seque vlcisci, & ea præstare sinè peccato potuisse, quæ ad perfectam virtutem minùs videntur hoc tempore pertinere. Nam qui eũ siuè Apostolis, siuè Martyribus Legis Euangelicæ parem faceret, is profectò meo iudicio non leui errore laberetur. Nihil enim ferè noui CHRISTVS attulisset, si mortales antè illum perfectionem Euangelicam nacti fuissent. Propterea neque nobis via Gen. c. 2.

eorum

eorum calcanda eſt, qui inter ſummas anguſtias conſtituti omnes ferè humanos actus peccata definiunt; neque eorum iter capiendum, qui immanibus ſpatijs decurrunt, & mortalium in operibus vel nullum crimen inueniunt, vel oppidò pauca; ſed mediocritas illa quærenda eſt, quam noſter Lyricus auream nuncupat luculentèr. Verum enim verò ita deſcendamus ad ſingula, vt idonea methodo procedamus, & res ad certa capita reuocemus. Omnia huiuſce quæſtionis membra, ſicutì iudico, ad geminas pertinent, ſeù virtutes, ſeù vitia, clementiam nimirùm, & iuſtitiam, vel ſæuitiam, & iniquitaté. Primum, ſecundum, tertium, ſextum ad ſæuitiam, ſeù clementiam ſpectant, quartum, & quintum ad iniquitaté, ſiuè iuſtitiam.

Hor. l. 2 ode 10.

De vindicta aduersùs Nabalé adornata, qui primus tibi ſcopulus ſæui-

tiæ

tiæ fuit, Dauidem concedo nondùm ſtricto iure regem fuiſſe; tamèn adeò celebris erat toto regno electio ipſius per Samuelem facta diuino iuſſu, & vniuerſo probata populo, ad quem poſt DEVM ius eligendi pertinebat, vt tanquam Rex, & dominus vulgò haberetur, & eius vnuſquiſque pareret imperio. Nam ſatis diſertè dixerunt illi poſteà principes tribuum. *Sed & heri, & nudiuſtertius cum Saul Rex eſſet ſuper nos, tu eras educens, & reducens Iſrael*. Ipſa quoque Abigail illum regem ſalutauit. Qua verò poteſtate conſuetudine recepta reges forent, abundè vidimus. Itaquè tùm de re, tùm de capite ſubditorum ſtatuere pro meritis arbitrio poterat. Et cum lex de condonandis iniurijs ad Euangelicam perfectionem minimè perueniſſet, indigniſſimam contumeliam vlciſci nefas vulgò fortaſsè non habebatur. Niſi potius dicere veli-

1. Reg. c. 25.

2. Reg. c. 5.

mus hunc Dauidis impetum instàr primi motus se habuisse, qui cum neutiquàm sit in hominis potestate, ne peccati quidèm est capax. Nam licèt horarum spatium occupauerit, quo Dauid rem aduertere potuisset, nihil est, quòd miremur non aduertisse; idem quippè criminum adulterij, atque homicidij impœnitens annum integrum perseuerauit, quià nō animaduertit se peccasse; neque priùs resipuit, quã à Nathane corriperetur. Quæ sententia aliena censenda non videtur, si attentiùs expendimus verba textus; rei enim diuinitùs obuiàm itum est, neque permissum id fieri, quod nondùm Dauid sedata mente complexus fuerat. Tertium addere lubet solutionis genus. DEI permissu hallucinatus illius animus fortassè fuit, vt & Nabal suorum flagitiorum morte immatura, quæ præ metu secuta est, pœnas lueret, & Abi-

gail

gail clarissima fœmina, qua indignus erat ille, ad meliorem fortunam trãsiret, ac regium fastigium iuxtà suas virtutes assequeretur.

In Amalecite adolescente, quæ secunda erat dubitatio, haud conditionem dumtaxàt considero peregrinã, superstitionibusq; earum gentiũ imbutam, in quas DEVS Israëlitis potestatem vitæ, ac necis initio dederat; quamobrèm illis belluarum instàr habebantur; sed illud magìs in mentem venit Dauidem ad sacrilegiũ iuuenis qui CHRISTVM Domini contrectare, conficereq; vulneribus ausus fuerat, oculos intendisse; Cum Saul quamquàm à DEO reiectus, typus tamen veri CHRISTI Domini fuerit. Neque enìm illum Dauid in potestatem suam bis redactum eandem ob causam vel occidit vnquàm, vel violauit, tametsì ærumnis maximis premeretur. Idque vnum suis

2.Reg. c.1.

1.Reg. c.24. & c.26

ſuis adhortantibus, ne pulcherrimam occaſionem negligeret euadendi,cōſtantèr reſpondit, commiſſurum ſe nunquàm, vt mitteret manum in CHRISTVM Domini. Cui quidèm interpretationi textus ipſe plurimùm fauet, cum aliam rationē Dauid nullam attulerit, quamobrèm Amalecitem iuberet interfici. Imò verò quod tu, tanquàm nimìs Politicum refellis, cum alioquì iuſta non deforet cauſa puniendi adoleſcentem, è Republica tamen fuit eo temporis momento ſe ſe probare inimici necis adeò inſontem, vt ne grata quidèm ipſi fuerit, poſtquàm citrà omnem eiuſce culpā acciderat, quo intelligerent Hebræi ſe regem habituros, qui inimicitias nequaquā perſequeretur, neque implacabilis offenſarum vltor futurus eſſet. Quo pacto ea, quæ ſeueritas videbatur, commendauit ſuam, probauitq; manſuetudinem. Et hoc eſt

quod

quod Plutarchus ait, *comparare opinionem virtutis*, ex qua auctoritas originem ducit. Neque procùl Tacitus. *Nouum imperium inchoantibus vtilem esse clementiæ famam.* Plut. in Polit. Tacit. hist. 4.

Transeo ad Ammonitas, & Vrbē Rabbatham, qua de re tertio loco quærebatur, Dauidemq; nostrum minimè assentior se crudeliùs habuisse, quàm par esset, cum eos adeò atrocitèr trucidari mandauit, haud tantùm quia hostes erant, & legales hostes, de quibus modò mentionē feci, verùm etiam quià pessimum iniuriæ, & contumeliæ genus eorum bellorū principium fuerat. Res ita se se habuit. Naasse Ammonitarum rege è viuis ablato, Dauid, proùt inter amicos principes solet, splendidam legationem ad consolandum Hanonem filium miserat. Legatos ille tanquàm exploratores, contumelia affecerat, dimidium barbæ raserat, vestes vsquè 2. Reg. c. 12.

 ad

ad nates totonderat,& incredibili cõtemptui,atque ludibrio Dauidem habuerat, violato non modò iure gentium, ſed ipſis quoquè amicitiæ legibus pollutis. Quinetiàm maximis delectibus habitis, & auxilijs amicorum Regum contractis bello aggredi Dauidem parauerat. Addo veteres cauſas. Populus ille Iſraëlitis ſemper inſenſus ſub Saule Rege eiſdem immanitèr inſultauerat, neque Ciuibus Iabes Galaad ſanè inſontibus pacẽ permittere conſenſerat,niſi ea conditione, vt dexter oculus eorum ſingulis erueretur. Amos etiam obſcuriſſimus Prophetarum increpat filios Ammon, quòd diſſecuerint prægnantes Galaad. Quò Maluenda de Antichriſto hanc Dauidis ſeueriorem vltionem referre videtur. Cum itaque Ammonitæ tùm veteribus, tùm recentibus offenſis atrocitèr, & ferino more egiſſent aduersùs Hebræos,quid, oro,dicendum

1.Reg. c.11.

l.8. c. 50.

vide-

videtur, nisi Dauidem visum fuisse iure suo, cum eosdem itèm atrocitèr puniri voluit? & prò tot, tantisq; sceleribus seueram vltionem reposuit, atquè exemplum latè finitimis dedit? An verò damnandæ sunt leges, quæ iuxtà facinorum grauitatem rotas, equuleos, reorum discerptiones per equos, aut naues, aliaque huiusmodi horribilia suppliciorum genera decernunt, vt à prauis operibus vnusquisquè deterreatur? Ego autem, cui Dauidis in DEVM pietas præ cæteris virtutibus antè mentis oculos obuersatur, inusitatam hominis seueritatem eò in primis referendam puto, vt blasphœmias impiæ gentis grauitèr esse plectendas censuerit. Qua de re in contextu, & narratione bellorum illorum sacra pagina satis vberem mentionem facit, & contumelijs maximis nomen Domini affectū memorat. Perierunt igitur, vti pe-

rire deterrimi homines meruerunt.

Quartum sæuitiæ caput, quod sextum est, Philo, in tuæ ordine dubi-
3.Reg. c.2. tationis, ad Testamentum Dauidis, vt tu ais, sanguinum pertinet; necnon Ioabi, Semeijque imperata Salomoni supplicia oppugnat. Qua in re illud arbitror priore loco statuendum in Dauide diuidendas esse personas, alteram Dauidis, alteram regis, illam priuatam, hanc publicam, iuxtà quarum diuersitatē metiri eius quoquè actiones, & scopos debemus; ad priuatum quippè virum ritè pertinet remittere, ignoscere, condonare; ad regem vbiquè non itèm, ne iustitia, in discrimen adducta, Respublica detrimentum capiat: etenim malos è mundo tollere necesse est, cum bono publico perniciem afferat. Sic Theologi censent, Iureconsulti, Politici omnes vno consensu. Sed ad rem propiùs accedamus, & quan-

doquidèm priorem nobis Ioabum obijcit ipse textus, ab eo exordium sumamus. Ioabum regis literas, quibus præceptum de Vriæ nece continebatur, in exercitu palàm fecisse, ac domini sui famam labefactasse, proùt afferit Abulensis, in sacra Pagina minimè inuenio. Itaquè illius sententiæ vis, quæcunque sit, penès auctorem sit. Nam quæ verba Prophetæ Nathanis ad Dauidem (*fecisti blasphemare nomen Domini*) ad huiusmodi causam refert ille, mihi eò spectare videntur, vt ostendant Ammonitas ex leuissima de Vria victoria superbos in DEVM Israëlis iactasse blasphœmias, quasi inanè foret, atquè inualidum Numen. Quis enìm sibi persuadeat Ioabum tantùm virum sui Regis secretum iussum etiàm hostibus patefecisse? Nobis porrò in casu nostro ab ipsamet litera non videtur discedendum, quæ non aliam statuit

2. Reg. c. 12.

causam, quàm geminam cædem duorum exercitus Imperatorum, Abneris, & Amasæ, quos ille dolo, & sub necessitudinis fide sustulerat. Quorum quidèm scelerum nullibi video aut Dauidem pœnam Ioabo remisisse; quarè illi sempèr integrum fuit, si punire vellet; aut Ioabum veniam exorasse; imò eò temeritatis, & audaciæ processisse compertum est, vt ad minas etiam quandoquè eruperit, Quod & Regum secundus liber, & Iosephi Historia testatur apertius. Quocircà tantus impunè haud erat malefactorum cumulus prætereũdus, exemplumq; videbatur sontibus statuendum pœnas tardis itineribus incedere, non abire, DEVMQVE ipsum dissimulare, non obliuisci. Quã ob causam citrà perfectionem Euangelicæ charitatis, neque ingrati animi vitio laborasse optimus Rex dicendus est, neque crudelitatis notadam-

2. Reg. c. 3. & c. 20.

2. Reg. c. 19. Ios. l. 7. c. 10.

damnandus, imò videtur potiùs laudandus, quippè qui fluentem noxij hominis ſanguinem ex nimia clementia videre non ſuſtinens ipſius ſupplicium ſuum poſt obitum diſtulit, & alieno arbitrio remiſit.

Ad Semeium venio, cuius damnatio eò arctiorem ſortitur difficultatem, quòd ei Dauid deprecanti pepercerat, & iureiurando confirmauerat non moriturum. Sed nihil eſt, quòd huiuſmodi ſcopulis terreamur. Veniam Dauid non abrogauit, iuſiurandum non violauit, Semeium non interfecit. Si à Salomone interfectus eſt, nouam ob culpã interfectus eſt, & eatenùs reuixit flagitiũ vetus, quatenùs ille reum ſe mortis denuò cõſtituit, qua ratione priùs fuerat, perindè ac nobis accidit apùd DEVM; quibus quamquàm nouum ob crimen remiſſa ſemèl crimina non reuiuiſcant, in eundèm tamèn gradum 2. Reg. c. 19.

reuertimur, vt æternos rursùs ignes prò recenti commiſſo mereamur, quemadmodùm prò veteribus merebamur. Quæ ſententia penès Theologos, atque in primis D. Thomam ſolemnis eſt. Vrges. Si Dauid non interfecit, ſanè imperauit, quod eodem loco habendum eſt. Hic verò diſtinguenda tempora, & diuidendæ in ipſo Dauide perſonæ ſunt. Cum pepercit, cum iurauit, vel profectò dicendum eſt peperciſſe, atque iuraſſe prò tempore reſeruata ſibi in animo conditione, vt dum ipſe inter viuos ageret, Semeius non eſſet moriturus, ſiuè alia ad hanc notam quapiam; nequè enim ſecùs de religioſiſſimo Principe ſentiendum eſt; vel tanquàm priuatam ſe habuiſſe perſonam. Si primum, illud oppido perfecit Dauid, & religiosè impleuit; ſi ſecundum, id nobis eſt ad memoriã nauitèr reuocandum iniurias, quæ

D.Tho. 3.p.q. 88.ar.1

Prin-

Principem feriunt, ad Rempublicam pertinere, cuius cum ille caput extet, bona, malauè capitis, tanquàm in corpus, in publicum statũ redundant. Quocircà cum Semeius Regi suo sũma in calamitate, angustijsq; constituto, fugienti, egenti, vitæque, nedùm Regni, incerto per immanem, intolerabilemq; væcordiam maledictis, conuicijs, lapidibus insultasset, haud illi impunè tàm nefarium scelus linquendum erat, quod ad Reipublicæ corruptionem pessimo patebat exẽplo. Iustè igitur, sapientèrq; puniri Rex precepit, quod priuatus dissimulauerat, suamq; offensam non est persecutus, sed regni. Tametsi eò redeũdum existimem, vt animo retenta conditio Dauidem ab omni periurij labe immunem præstiterit. Obijcis autem verba Dauidis ad Abisæũ vltioni inhiantem (*Præcepit ei Dominus, vt malediceret Dauid*) quòd si præ- 2. Reg. c. 16.

ceptum

ceptum Domini Semeius executus fuerat, nõ igitùr puniendus; qui enìm DEO obtemperat, non eſt reus. Verùm duplici reſponſione argumẽtum refelli poteſt: Nam vel præceptũ illud prò permiſſu eſt accipiendum, proùt ſæpe fit in diuinis ſcripturis; vel non cadit in perſonam Semeij, ſed Dauidis in ſenſu (quem dicunt) paſſiuo, hoc eſt præcipiſſe Dominum, vt Dauid conuicijs Semeij proſcinderetur in ſuorum criminum pœnam, non autem vt Semeius proſcinderet, qui, & peccauit, & DEO repugnat peccatum imperare. Nequè verò aliud quoquè memoriam fugit, quod tibi in primis acerbum, & inhumanum videtùr, quo ſupremo vitæ momento cæteris hominibus compoſita cuncta eſſe ſolent ad ignoſcendum, iniuriarumq; obliuiſcendum, Dauidem de pœnis, de vltionibus cogitare, præcipereque, ac Teſtamentum ſangui-

num condere. At in mentem reuocandum est, quod in suppositis supra disserui, antè CHRISTVM veteres, quibus bona promittebantur terrestri è nota, & præmia, & pœnas suisse solitos sensu metiri, atque ea cogitare, quæ sub manum, sub oculum cadunt. Quam ob causam cum ad æterna, & abdita nequaquàm respicerent, quæ humi non apparerent, nulla censebant. CHRISTVS autèm, qui & vera bona ostendit, & ea pollicitus in Cœlo est *diligentibus se*, *quæ neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt.* Is.c.64. 1. Ad Cor.c.2. & cruciatus inextinguibiles sontibus comminari non destitit, ità suos effinxit, vt ijs facilè ignoscant, quos secretiori DEI iudicio reseruari compertum est. Quò illud spectat Apostoli Pauli (*congeres carbones ignis super caput eius*) Ad Ro. c.12. & proprio quidèm cũ lucro. Quæ futurarum, & occulta-

rum cognitio rerum cum Dauidem haud ſanè latuerit, vulgi tamèn erat habenda ratio, cuius ſcientia, vel vltrà obtutum minimè pertinebat, vel remota illi pro inanibus habebantur. Quod ſi Ioab, & Semeius allatis ex rationibus plectendi erant, haud eſſe probi moris, atque è Republica videbatur, ſi abſtruſæ ſententiæ Numinis reſeruarentur. Prætereà Dauidem noſtrum non, vt Regem modò conſidera, Philo mi, ſed Regem patrem, qui longo filiorũ numero natu maiorum Salomonem puerũ DEI iuſſu prætulerat, ſuoque in ſolio ſedere iuſſerat. Itaquè ipſius erat operam dare, vt quam maximè tutus foret, atque ab inimicis, ſuſpectiſq; capitibus vacuus. Hac in conſtitutione rerum Ioab recenti ſcelere tenebatur, quod ad perturbandum regni ſtatum magnoperè pertinebat. Ea cum Adonia imperandi auido conſenſio fuerat, &

voluntate Regis, & oraculo Numinis iuxtà neglectis. Semeius autèm homo potens, ad Saulis sanguinem spectans, clientelis maximis subnixus, quippè qui vniuersam tribum Beniamim tanquàm in potestate haberet, quorum hominum ingentem numerum ad reducendum Regem haud minùs ostentans, quàm obsecutus, secùm adduxerat. Quamobrèm & serere seditiones, & excitare tumultus, & commouere turbas validus eò rem trahere potuisset, vt Salomon aperto bello peteretur, & non mediocre incommodum caperet. Consulendum igitur noui Principis securitati, & damnatione eorum, quos ob flagitia superesse nefas erat, cauendũ diligentissimè, ne quid inferretur Reipublicæ detrimenti. Quod quidèm erat imperata DEI facere, qué, vti elegerat Salomonem, sic eum quoquè sartum tectum esse voluisse pu- 2. Reg. c. 19.

tan-

tandum est. Porrò si Salomonis edictum de non discedendo Hierosolymis Semeius minimè contempsisset, haud sanè video, qua ratione capitale supplicium non effugisset, cum præsertim Dauidis mandatum sapientia Salomonis eiusdem circumscriptū definiretur. Verum enim verò magnum, & euidens argumentum est nefarij hominis prauitatis eò tanquā offendiculo vsum fuisse, quod illi ad securitatem fuerat. Et quādoquidèm nequè huius, nequè Ioabi damnationem sacer Regū improbat liber, certum est, vt modò innui, diuino illam iudicio, & afflatu fuisse, neque clementiæ, & mansuetudinis optimi, & pijssimi Regis celebribus titulis obfuisse. Nam quis est, qui audeat dicere, quare hoc fecerit? *iudicia quippè DEI abyssus multa.*

3. Reg. c. 16. Ps 35.

Ex ijs dubitationibus expediti, quæ ad sæuitiam, clementiamuè pertinent, reli-

reliquum est, vt eas aggredi non dubitemus, quæ iniustitia, vel æquitate constant, & Amnonem, Sibamq; ad iudicium vocemus. De Siba igitur priùs, vt Amnonis deindè causã impensiùs scrutemur, & amoto serui obijce, cum filio regis finem disputandi faciamus. Sibam dolo egisse, ac per maximam calumniam falsò detulisse apud Regem dominum suũ in controuersiam vocari neutiquàm potest. Certum itèm est ab Rege credulo spoliatum fuisse præcipiti iudicio inauditum Miphiboſethum, & cuncta Sibæ adiudicata, quæ domini fuerant. Quamobrèm comperta deindè facti veritate, ac probè cognito statu causæ, tùm Miphibosetho sua restitui, tùm Sibam mulctari debuisse contendis. At velim, mi Philo, cogites, quo loco tunc essent res Dauidis. Domo pulsus, regno eiectus, nudis pedibus per solitudines fugiens, & sa-

2.Reg c.16.& 19.

& salutem quærens, omnium rerum inops, & precario hauriens ipsum aërem, ac Cœli lumen profectò erat. Primus illi, cum Absalomi sequerentur fortunam cæteri, occurrit Siba, mœrentemq; animum leuauit; primus commeatuum copia subuenit, necnon alacritatis, ac spei haud leuē materiam præbuit. An minimum tibi beneficij videtur genus in tanta hominum, atque ipsius filij perfidia fidem præstare? an id Dauidi contēnendum erat, quo vsquè ad necessitatem vltimam indigebat? Vti addere afflictionem afflicto, quod Semeij crimen fuit, deterrima est offensæ species, haud secùs officijs, auxilijsq; illis nihil addi potest dignitatis, & gratiæ, quæ in summa calamitate, & periculo spontè exhibentur. Equidèm luculentiorem nobis magistrum, & au-
Luc. 6.23. ctorem, quàm CHRISTVM Dominum, neminem video. Latronem

CHRI-

CHRISTVS impuriſſimæ vitæ infamia laborantem, atque innumerabilium ſcelerum reum, quæ conditio longè eſt ſeruili deterior, ſocium tamen gloriæ ſibi adſciuit,& ad Cœli Regnũ vocauit nulla oppidò, ſi quid homini dandum eſt, potiore ex cauſa, quàm quod Latro poſitum in tormentis, & ignominia Crucis inſontem Dominum confeſſus eſt, laudauit, aduersùs blaſphœmias damnati alterius defendit, ac Regẽ, & DEVM aſſeruit. Tanti eſt adeſſe homini, quem reliqui aut deſtituant, aut inſectentur, & humanarum calamitas rerum præcipitem dederit. Itaquè Dauidi licuerit rigorem iuſtitiæ abdicare tantiſpèr,ac pœnam calumniæ debitam remittere homini, qui grauiſſimo in caſu ſuam vicem doluerat, & opitulatus ſedulò fuerat; neque iniquitatis notam propterea ſubeat, qui grati animi laudem meretur. Quod

si spoliauit bonis omnibus Miphiboſethum; eoque poſtmodùm audito, dimidiam dumtaxàt partem reſtituit, in memoriam reuocandum eſt ius regium à nobis ſuprà memoratū, quod ea tempeſtate vſu receptum habebatur, cuius vi omnia Dauidis arbitrio conſtabant. Quapropter quemadmodum Miphiboſetho cuncta ea dono dare initio potuerat, ſic eidem tunc reddere quicquid lubebat, potuiſſe cenſendum eſt. Eò magis accedente conſenſione quaſi quadam Miphiboſethi, qui non rem ſuam familiarem, ſed gratiam Regis petebat, à quo tùm alebatur, tùm ſciebat ſibi eum neutiquàm defuturum.

2. Reg. c. 9.

Iam peruenimus ad filium Regis; quarè haud procùl à portu abſumus. Hìc verò præmiſſorum à nobis de re Venerea in primis memores, qualis fuerit Amnonis libido videamus; & quidèm adoleſcentem nobilem, cla-

2. Reg. c. 13.

clarum, principem, quo loco, quo & seculo non erant inter fratres penitùs inaudita coniugia, amare sororẽ forma insignem adeò non est execrandum, ne excusationem vltrò possit accipere. Obtutus frequens, consuetudo libera, vis sanguinis: magni hostes: vbi coniurant, quis resistat? Sed sororem virginem vi fœdasse, ac per meridiem domo expulisse non sinè ingenti famæ iactura, id flagitiũ fuisse pessimum iure contendis; neque Dauidem à culpa liberas, qui iustus, & interdum cruentus in cæteros tantam filij turpitudinem dissimulauerit. At verò per nos satis explicatum esse reor, quid de pudore, seu corruptione fœminarum sentiret antiquitas, quæ parùm admodùm pensi habuit, si illud in fœmina citrà adulterij labem committeretur, quod ipsi proprium à natura tributũ est. Quamobrèm aut Dauid negligendum pu-

tauit probrum illud, quod nequè magnum vulgò habebatur, nequè ab alienis fuerat, sed intrà sanguinem steterat; aut aspectu deterritus languentis, & multa confecti macie filij, quē primogenitum vnicè diligebat, veritus est, ne si pœna quapiam sontem affecisset, siuè acri saltèm obiurgatione perculisset, illius vitam in discrimen adduceret. Quæ ratio ad textùs sensum propiùs videtur accedere. Quòd si postquàm conualuit adolescens, pater adhùc nihil succensuit, tu scis, Philo, & opinor experiris, quā facilè euanescant remedia eiusmodi, vbì primi illi animorum impetus deferbuerunt, cum ijs præsertim, quorum amor legibus imperat. Itaquè nonnihil indulgentiorem fuisse Dauidem non abnuo; iniustum autem nunquam existimauerim appellandū, ob eam causam, quæ validis rationibus, vel ipsius naturæ fouetur, & nititur.

titur. Cæterùm haud fortaſſe temerè in mentem venit ſilentium etiam, diſſimulationemq; huiuſmodi à Numine dimanaſſe. Nam cum Dauid ob incontinentiam ſuam, & ſanguinem fuſum contrà fas plectendus foret, cõminatuſq; illi fuiſſet per Prophetam iuſtitiæ parens DEVS (*qui attingit à fine vſque ad finem fortitèr, & diſponit omnia ſuauitèr, ſuſcitabo malum de domo tua*) hominem etiàm hebetaſſe videri poteſt, ne grauiſſima proſpectaret incommoda, quæ indè breui ſecuta ſunt, atque ità meritas pœnas vitaret. Et ſanè par pari relatum eſt, & in quibus deliquit, in ijs percuſſus atrociùs fuit. Pollutam Bethſabæam rependit corrupta Thamar, interfectum Vriam Amnon priùs, deinde Abſalom trucidati; pro alienis, & ſubditis liberi: Vt palá ſit acritèr DEVM vlciſci pauperum ſanguinem, ſi à potentioribus premantur, quod benè idem 2. Reg. c. 12.

idem ipse prophetauit, cum ait (*Cognoui, quia faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum*) Ecce, vt in hoc quoquè casu Dauid noster
Ps. 139
vel ius, & fas minimè vulnerauit, vel leuitèr, atquè adeò innocens vulnerauit.

Hunc nostra disputatio finem accipit; in qua si tibi, Philo egregie, vel mediocritèr satisfecero, id ad naturam rei erit, non ad meam doctrinam, industriamq; referendum; nequè enìm facultate polleo, quæ tanti sit. Satìs mihi est tibi saltèm viam præstruxisse, qua minore cùm labore meliora substituas. Cœterùm, & Elogio tuo tanti Herois lubens subscribo, & adijcio meum, breuissimum illud quidèm, sed non minùs verũ, quàm tuum, cuius compendium cẽseri potest. In Dauide summam esse præclaræ indolis, & virtutis ideam, summũ regnandi specimen enitere.

Vt

Vt affirmari iure possit Naturam, Artem, Gratiam hunc certatim præ cæteris virum ornandum suscepisse, quò eũ statueret Principibus exemplar, quod nauitèr imitentur.

Iam audisti, iã vidisti THADÆE, præstantissime, Quid tibi in mentem venerit, quid de vtroque sentias, curiosiùs, atque auidiùs, quàm credi possit, expectabo. De hominum ingenio, de sententia, de dictione tuum inquàm, iudicium expectabo. Nam de Dauide tanto Viro, cuius appellari, & esse filius DEVS voluit secũdum carnem, nihil temerè statuendum censebis, & satis compertum est mihi te ad Sophronij tesseram accessurum. Cæterùm quicquid hoc est officij mei, id erit apùd te studiosissimæ voluntatis meæ monumentum sempiternum.

Errata sic corrigito.

Pag. 13.	ver. 22.	ſcripſiſte	ſcripſiſſe.
73.	23.	lumine	lumini.
80.	3.	ſine	ſcire.
128.	16.	duеem	ducem.
154.	22.	prudentiæ	prudentia
155.	22.	illam	illum.
162.	15.	cruerεtur	eruerεtur.